52034/B

J. XVIII e
18

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28775491

WENCESLAI TRNKA
DE KRŽOWITZ
S. R. I. EQVITIS MEDICIN. DOCTOR.
IN REG. UNIVERS. THERESIANA BUDENSI PATHOLOGIÆ PROFESSORIS P. O.

HISTORIA LEUCORRHOEAE

OMNIS AEVI OBSERVATA MEDICA CONTINENS.

PARS I.

VINDOBONAE
Proſtat apud RUD. GRÆFFERUM.

CIↃ DCC LXXXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PERILLUSTRI
CLARISSIMO
AC
DEXTERRIMO
DOMINO
FERDINANDO
DE
LEBER
SACR. CAES. REG. APOST. MAJEST.
CONSILIARIO
CHIRURGIAE DOCTORI
EJUSDEMQUE
IN UNIVERSITATE VINDOBONEN.
PROFESSORI P. O.
NEC NON
NOSOCOMII CIVIUM CHIRURGO
ORDINARIO

IN

PERPETUAE GRATITUDINIS

ET

AMICITIAE

MONIMENTUM

LUCUBRATIONEM

HANC

DE LEUCORRHOEA

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI S. AUCTOR.

Inter eos, qvorum hiſtorias per aliqvot abhinc annos in lucem edidi, morbos haud poſtremo ponendum eſſe cenſui loco illum, qvi qva late orbis terrarum patet, in ſeqviorem ſexum non impune graſſatur. Leucorrhœam puto. Nam cum ſit (noſtra præſertim ætate, qvæ frugalitati pudicitiæqve repudii libellum dedit) vitæ muliebris ut plurimum otio, ingluvie, libidinibusqve perditæ ſoboles, id etiam ſibi proprium habet, ut omnibus pœnis altrices ſuas plectat, moleſtum juxta ac inviſum munditiem ſectantibus malum, naturaqve ſua longe fœdiſſimum (niſi qvod turpitudinem ejus loca, qvæ pudor oculis ſubducta eſſe voluit, vulgari non patiantur), virorum amorem ab uxoribus avertens, ſpem prolis ardentiſſimis ſæpe votis expetitæ, commodorumqve inde in parentes dimanaturorum, accidens, & qvod ægrotas ad deſperationem interdum adigit, omnem haud raro ſoteriæ artis induſtriam plane eludens, ac ne qvid ad abſolutum calamitatum

)(3

cumulum deſideretur, ſæpenumero graviſſima qvæqve tormenta, non niſi lenta morte finienda, intentans. Qvæ cum ita ſint, exiſtimavi me Tuo aliqvid commodo Lector facturum, ſi hanc talem ægritudinem, vix a qvoqvam, pro eo ac par eſt, pertractatam, niſi qvod de illa ſua cuiqve in praxi poſterorum memoria dignum occurrit, pro more inſtitutoqve meo ita literis proderem, ut omnia ejus monumenta undiqve conqviſita uno velut obtutu Tibi ſiſterem. Hæc vero non eo pertinere credas, velim, ut me œncomia abs Te præſtolari putes, (ut qvi nunqvam non memoria teneam DIVINUM *illud* danti mihi ſapientiam dabo gloriam), *ſed ut his meis conatibus in ſalutem qva immerentium puellarum, qvas vel mater vel aliæ humanæ ærumnæ huc præcipites dederunt, qva earum, qvæ meritas vel ſcelerum vel mortalis certe fragilitatis pœnas per leucorrhœam luunt, utare. Dabam e præſidio Budenſi XIV kalend. Apriles* CIƆ IƆ CC LXXXI.

SERIES OPERIS.

PARS I.

Caput I. Definitio leucorrhœæ pag. 1.
Genera ejusdem 2.
I. Vera, eaqve ibid.
1. Uterina vel vaginalis ibid.
2. Recens aut vetus ibid.
3. Continua vel intermittens 3.
4. Simplex vel complicata cum
a) nota leucorrhœa, 6.
b) cachexia, ibid.
c) hyſterica paſſione, ibid.
d) ulcere ibid.
II. Notha, eaqve ibid.
A. Benigna, ut eſt 7.
1. Gonorrhœa benigna ibid.
2. Leucorrhœa gravidarum 8.
B. Maligna ibid.
Caput II. Symptomata leucorrhœæ 9.
I. Fluxus phænomena, ut 10
1. Tempora ejus ibid.
2. Qvalitates, ſc. 11.

)(4

a) Color pag. 11

b) Conſiſtentia 14.

c) Odor 15.

d) Acrimonia ibid.

3. Ubertas 17.

4. Contenta 18.

II. Functiones læſæ 25.

1. Dolores 26.

2. Tenſiones ibid.

3. Dyſpepſia ibid.

4. Alvus 26.

5. Urina ibid.

6. Menſes ibid.

7. Habitus ibid.

8. Præcordia ibid.

9. Laſſitudo ibid.

10. Animus affectus 27.

Caput III. Proegumenæ cauſæ 29.

1. Ætas ibid.

2. Corpus 35.

3. Hæreditaria labes 36.

4. Cachexiæ 37.

5. Uteri morbi 39.

Caput IV. Procatarcticæ cauſæ pag. 39.

1. Pathemata animi ibid.
2. Ingeſta 40.
3. Tempeſtas anni 41.
4. Venus immodica 42.
5. Graviditas 46.
6. Catameniorum vitia 47.
7. Partus, molæ, hæmorrh. uteri 51
8. Metaſtaſes 53.
   a) Sudoris ibid.
   b) Lactis ibid.
   c) Sputorum 55.
   d) Vomitus ibid.
   e) Catarrhi ibid.
   f) Tumorum 57.
   g) Sangvinis retenti 59.

Caput V. Proxima cauſa, evicta 61.

Anatome 63.
Ratiocinio 65.

Caput VI. Diagnoſis 69.

A. Veræ ibid.

)(5

B. Venereæ indicia ſunt pag. 70.
1. Cauſa ibid.
2. Symptomata propria 72.
3. Qvalitates 73.
4. Ubertas 75.
5. Autopſia 76.
6. Coitus 79.
7. Typus 81.
8. Juvantia & nocentia 85.
Caput VII. Prognoſis 94.
1. Duratio varia ibid.
2. Effectus 96.
A. Ubertatis 97.
a) Vulvæ amplitudo ibid.
b) Uteri prolapſus ibid.
c) Abortiendi proclivitas 99.
d) Sterilitas 104.
e) Senſuum læſio 107.
f) Cachexiæ 108.
g) Acrimonia. 109.
B. Acrimoniæ 110.
a) Excoriatio ibid.
b) Inflammatio cum ſeqvelis ibid.
c) Ulcera 114.

d) Excreſcentiæ pag. 119.
e) Dolores 123.
f) Urinæ difficultas 124.
g) Hæmorrhagiæ ibid.
h) Tabes, hectica, phthiſis 125.
i) Exanthemata 126.
3. Suppreſſio creat aliat mala, unde 128.
a) Dolores ibid.
b) Catarrhus 130.
c) Diabetes 131.
d) Exanthemata ibid.
e) Febres 132.
f) Abſceſſus, ulcera 133.
g) Phthiſis 135.
4. Reverſio hæc rurſus abolet 138.
5. Solvitur leucorrhœa
a) Pubertate 149.
b) Conceptu 150.
c) Ptyaliſmo ibid.
d) Anacatharſi ibid.
e) Sudore 151.
f) Emeſi pag. 152.
g) Diarrhœa 153.

PARS II.

Caput I. Indicans, indicationes, indicata pag. 155.
Caput II. Emetica, præſertim 158.
1. Ypecacuanha 159.
2. Aſari radix ibid.
3. Vitrum cerat. antimon. 161.
Caput III. Cathartica, in primis ibid.
1. Rheum 168.
2. Aqvæ ſoteriæ 176.
Caput IV. Diuretica 178.
1. Abſtergentia 179.
2. Roborantia, ut 180.
a) Daucus ibid.
b) Juniperi grana 181.
c) Dictamni alb. radix ibid.
d) Balſama nativa 182.
Caput V. Diaphoretica. 186.
Caput VI. Sialagoga 190.
Caput VII. Inviſcantia 194.
Caput VIII. Roborantia 195.
1. Stomachica 196.
a) Mentha 199.

b) Nux moſchata pag. 199.
c) Roſmarinus ibid.
d) Serpillum 200.
e) Qvaſſia ibid.
2. Uterina ibid.
a) Uva urſi 201.
b) Baſilicum ſilveſtre 202.
3. Vulneraria 205.
a) Cicuta ibid.
b) Balſama nativa 215.
c) Gummi-reſinæ 216.
d) Cortex Peruvianus 219.
Caput IX. Adſtringentia 225.
1. Exſiccantia, ut 233
a) Lapides cancrorum ibid.
b) Corallia 234.
c) Aqva calcis 235.
2. Auſtera, ut ibid.
a) Suber uſtum ibid.
b) Qvercus folia 236.
c) Terra catechu ibid.
d) Vitrioli acidum ibid.
e) Martialia 238.
Caput X. Compoſita remedia 241.

Caput XI. Externa remedia pag. 252.
1. Sangvinis miſſio ibid.
2. Frictiones 257.
3. Litus ibid.
4. Fotus 258.
5. Suffitus 261.
6. Injectiones 264.
7. Balnea 269.
A. Diaphoretica ibid.
B. Thermæ ſulph. ibid.
C. Roborantia 270.
a) herbacea ibid.
b) mineralia 272.
c) frigida 275.
8. Fonticuli, ſetacea 276.
9. Amuleta, tranſplantationes 278.
Caput XII. Regimen diæteticum 279.
1. Alimenta ibid.
2. Veneris uſus 282.
3. Aeris ſoliqve mutatio 285.
4. Motus corporis ibid.
5. Pathemata animi 287.
6. Veſtitus 288.
Appendix hiſtorias 13 ſelectas continens 290.

HISTO-

ERRATA.

Pag. 3. nota (*f*) pro §. 20. lege §. 22.

— 160. lin. 22. cretæ ʒij lege ℥ij.

— 197. lin. 21. entiſſima lege lentiſſima.

— 245. lin. 1. pro 235.

HISTORIAE LEUCORRHOEAE PARS I.

DE NATURA AC VARIETATE LEUCORRHOEÆ.

CAPUT I.

DEFINITIO AC GENERA LEUCORRHOEAE.

§. 1.

Definitio. Λευκόῤῥοια, alias & ῥοῦς λευκος & ῥοῦς γυναικεῖος, Latinis *Fluor albus*, eſt humoris ſeroſi e muliebribus fluxus, qvem alii

menſtrua alba, alii *gonorrhœam muliebrem*, alii *profluvium uteri* aut *muliebre* vocitarunt. Sunt etiam, qveis *coryzæ uteri* nomen arriſit (*a*).

§. 2.

GENERA porro hujus ægritudinis duo præſertim ſunt, ad qvæ facile omnia alia ab aliis aſſignata revocari ſe ſe patiuntur. Petiimus illa, natura rei ſic innuente, a diverſa fluxus ipſius ſcaturigine, qva conſiderata dicenda erit Leucorrhæa

I. *Vera*, cujus fluxus ex iisdem vaſis provenit, e qvibus menſtruus ſangvis exſtillat. Qvæ cum non in uteri modo, ſed vaginæ etiam ſuperficiem haud raro hient, ita ut menſes aliis ex utero, aliis e vagina qvoqve ſcaturiant, leucorrhœa qvoqve vera

1. *Uterina* vel *vaginalis* ſit oportet (*b*). Utraqve autem hæc rurſum eſt

2. *Recens* aut *inveterata* (*c*), eaqve ſpectato typo, qvem obtinet,

---

(*a*) Vide §. 18. e).

(*b*) Vide §. 19. ſqq.

(*c*) Vide §. 34.

3. *Continua* vel *intermittens*. Continuam expertæ ſunt matronæ ALBRECHTI (*d*), GASSERI (*e*), HILLII (*f*), Dux STARCKII (*g*), mulieres BURGGRAVII (*h*), BURTONI (*i*), HOFFMANNI (*k*), MÜNNICHII (*l*), STÖRCKIIqve (*m*), tum puellæ BEHRII (*n*) ac JUCHII (*o*); continuam qvoqve, at erecto tantummodo in ſitu, patiebatur ægrota MURALTII (*p*). Morbi continui remittentis caſum narrat B. SILVATICUS (*q*), nempe matronæ 25 annorum gracili, cum poſt mœrorem ex obitu patris conceptum anno ætatis 17mo, erroresqve in victu, catameniis bis inde ſuppreſſis, tabeſceret, nuptui datæ leucorrhœa oborta eſt, ita ut 6 annos ſterili, menſibus rite, at aliqvanto profuſius, procedentibus, ſemper ex intervallo 12 dierum ſuccederet tridui fluor albus, parcior qvidem menſibus, at varius, materia profluente modo viſcida,

(*d*) Vide §. 35. B. g).
(*e*) Vide §. 62. a).
(*f*) Vide §. 20.
(*g*) Vide hiſtor. 5.
(*h*) Vide §. 45. No 1.
(*i*) Vide §. 35 B. d).
(*k*) Vide §. 70.
(*l*) Vide hiſtor 6
(*m*) Vid hiſtor. 10.
(*n*) Vide §. 36. f)
(*o*) Vide hiſtor. 7.
(*p*) Vide §. 35 B. b).
(*q*) Conſ. & reſp. med. Cent. 4. No 23. p. 314.

mucoſa, craſſa, modo tenui, ichoroſa, fœtida, modo alba cum tenuiſſimis ſangvinis ſtriis ac fibris; modo livida ac fœculenta, freqventius loturam carnis recentis magis minuſve dilutam referens, vel purioris ſangvinis forma. Fluxus hieme uberior moleſtiorqve erat, qvam æſtate. Medio tempore genitalia perpetuo madebant, licet nihil effatu dignum proflueret. Tam vero menſes, qvam in primis leucorrhœa, cauſabant dolorem dorſi & circum pubem cum gravitate cervicis & colli uteri, ut ægra vix ſtare poſſet, cogereturqve ſedere declivis ſublatis genibus. Multa fruſtra remedia adhibuit. Intermittens vero leucorrhœa vel ex æqvis vel incertis (qvod freqventiſſimum) temporis recurrit intervallis (*r*). Æqvalibus ex intervallis eam patiebatur RAULINI (*s*) femina 36 annos nata, cui in dorſum prolapſæ tremor ocyus in extremitatis inferioris dextræ, ac non multo poſt dextri etiam brachii, muſculis accidit perpetuus, identidem tamen inducias, at non ultra $\frac{1}{2}$ horam, dans; qvandoqve etiam ſiniſtra extre-

(*r*) Vide §. 4. I. No 1.

(*s*) Traité des Fleurs blanches T. 2. P. 3. S. 2. C. 10. p. 485.

mitas inferior, qvieſcente tunc dextra, contremiſcebat: in lecto autem jacenti ægræ omnes corporis partes tremuere. Ex qvo cecidit, inqvietas noctes crebris cum inſomniis, & freqventem patitur cephalalgiam, cui ſæpe tantus ſupervenit abdominis dolor, ut meteoriſmum in eodem excitet non ante ceſſantem, qvam ipſe remiſerit; digerit difficulter ac laborioſe cum ſeqventi vomitu habituali omnium alimentorum veſpertino, qvæ mane ac meridie ſumpſit, & meridiano in cœna pridie ingeſtorum, id qvod ſæpiſſime retinet, eſt aqva cum pauxillo vini, neutrum vero ſeorſim. Febris eſt expers, urinamqve ſat bonam reddit; at ſegnis admodum eſt alvus. Non multo poſt lapſum ingruit etiam leucorrhœa chyli ſimilis ac periodica, ita ut 2. 3ve dies durans per totidem poſtea dies ſemper conqvieſcat, donec ut ante redierit, qvam ægra aliqvot poſt paſtum horis uberiorem ſemper, qvam ullo alio tempore, obſervavit. Eſt emaciata, at citra phthiſin, viribus pollens. A. PITCARNIUS apud R. MEAD (*t*) „fluorem album „per 4 annos nova ſingulis menſibus luna „recurrentem, perſtante ſemper octiduum

(*t*) De imper. ſol & lun. p. 44.

„ profluvio, obſervavit „. Omnis deniqve hactenus dicta leucorrhœa eſt vel

4. *Simplex* vel *complicata.* Prior eſt, dum præter fluxum nihil morboſi ſecum trahit (i. e. dum leucorrhœa cum nullo alio morbo tanqvam cauſa vel effectu ejusdem præſto eſt; tametſi forte alius adſit morbus nullum cum eadem nexum alens, v. g. vulnus, febris epidemica, &c.): poſterior vero, dum alteri morbo ut cauſæ vel effectui ſimul juncta adeſt. Mala ei complicari ſolita ſunt ut plurimum

a) *Leucorrhœa notha* (*u*).

b) *Cachexia*, præſertim chloroſis (*x*).

c) *Hyſterica* ſymptomata; cujusmodi caſum inſignem deſcribit F. HOFFMANNUS (*y*).

d) *Ulceratio* locorum, qvæ fluor alluit (*z*).

II. *Notha*, cujus profluvium ex aliis vaſis, qvam ex qvibus catamenia prodeunt, ortum trahit. Obſervavit nempe J. B. MORGAGNIUS (*a*) innaſci ſæpenumero internis uteri

(*u*) Vide inferius mox eandem.

(*x*) Vide §§. 9. 35. B. h).

(*y*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 16. Obſ. 6.

(*z*) Vide §. 35 B. a) c).

(*a*) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 47. No 19. ſqq.

parietibus veſiculas præter naturam, aqvam mucumve varii coloris continentes, qvi humores ruptis veſiculis jugiter poſtea effluentes leucorrhœas varii coloris, conſiſtentiæ, & indolis cauſare videntur. At vero ut hæc ita ſe habeant, non tamen unica notharum leucorrhœarum ſcaturigo ſunt id genus veſiculæ uteri; nam & e vaginæ glandulis, &c. oriri leucorrhœa notha poteſt; eſtqve duplicis indolis, nimirum:

A. *Benigna*, cujus materia eſt ad ſenſum blanda, ut mucus, lympha, &c. Hujus proinde loci eſt

1. *Gonorrhœa benigna mulierum*, qvam ab leucorrhœa veteres ſollicite diſcreverunt, in primis AETIUS (*b*), GALENUSqve (*c*), tum eorum aſſeclæ, ut apud P. FORESTUM (*d*) videre eſt, in eo tantum lapſi, qvod haud ſecius ac in gonorrhœa benigna vera virorum ſemen hocce in malo a feminis excerni crediderint. Interea cum glandularum proſtatarum aliarumqve humor, non ipſum, qvo feminæ deſtituuntur, ſemen, hic

(*b*) L. 3. C. 33.

(*c*) De ſemine L. 2.

(*d*) Obſ. & cur. med. L. 16. Obſ. 15. & ſchol. L. 28. Obſ. 24.

exſtillet, cumqve „ in viris proſtatarum fluxus gonorrhœa (benigna notha) vocetur, „ cur non etiam in mulieribus eodem nomine nuncuparetur, cum in utroqve ſexu „ partium & ductuum eadem fere ſit ſubſtantia „? inqvit R. de GRAAF (e), qvi in muliere gonorrhœam paſſa proſtatas exulceratas a morte reperit. Fluxum hunc ſalaces præprimis feminæ experiuntur. Sic P. G. SPERLING (f) hujusmodi „ gonorrhœam „ in puella nubili notavit, ... qvæ ad conſpectum perſonæ, qvam deperibat, notabilem humoris limpidi per muliebria effundebat qvantitatem „.

2. *Leucorrhœa gravidarum* SAUVAGESII (g), in qva humor vel amnii vel glandularum NABOTHI e genitalibus jugiter exſtillat.

B. *Maligna*, cujus humor ex ulcere, ut plurimum maligno, uteri aut vaginæ acer, purulentus, ſanioſus, ichoroſusve ſcaturit; cujusmodi ulcera ſunt venerea, ſcorbutica,

---

(e) De organ. mulier. C. 6. p. m. 213.

(f) Diſſ. de morbis ex nimio veneris uſu theſ. 13. Reſp. M. I. H. HEUCHERO 4to Viteberg. 1700.

(g) Noſol. meth. T. 3. P. 2. Cl. 9. Ord. 3. art. 29. No 8. 9.

fungoſa, cancroſa, &c. Huc proinde referenda eſt *gonorrhœa virulenta* mulierum ſyphilitica, nec non ea leucorrhœa, cujus in Act. Pariſinis (*h*) fit mentio, in qva pus ex abſceſſu ovarii per tubam in uterum, & ex hoc in vaginam decurrebat, & purulentæ peſſimæ ex uteri ulceribus tetris ortæ ab RAULINO (*i*) & MORGAGNIO (*k*) memoriæ proditæ. Cum autem ſpuriæ hæ leucorrhœæ a vera illa prorſus natura ſua diſcrepent, nec plurium uno loco morborum hiſtoriam condere ſit animus, illis miſſis de ſola leucorrhœa vera in præſenti agetur, niſi ubi ſpuriam vera effecerit, nexuſqve ambarum aliud facere nos coegerit.

CAPUT III.

SYMPTOMATA LEUCORRHOEAE.

§. 3.

SYMPTOMATA *leucorrhœæ*, qvo doctrina hujus argumenti reddatur ordinatior, aptiſſime binas in claſſes diſpeſci poſſunt,

(*h*) A. 1700. Obſ. anat. 5.
(*i*) l. c. S. 3. C. 8. p. 239.
(*k*) l. c. No 8, 25. ſqq.

qvarum in prima phænomena fluoris ipſius, in altera vero functionum triplicium ſtatus, in conſiderationem vocetur.

§. 4.

I. *Fluxus phænomena* ſunt præprimis

1. *Tempora*, qveis procedit. Hæc omnino nulla lege adſtricta ſunt, ut F. HOFFMANNUS (*l*) haud immerito inter characteriſticas hujus fluoris notas retulerit, qvod ſit *inordinatus*: „ qvia non certam ſervat temporis periodum; ſiqvidem aliis continuus „ eſt, & qvotidianus, in aliis per intervalla repetens bis terve in menſe accidit, „ licet ſint exempla, ubi etiam periodice & „ ſtato qvaſi tempore venit. Dein in nonnullis menſtruum fluxum modo præcedit, „ modo comitatur, modo ſeqvitur, vel „ etiam intermedio tempore prodit, qvin „ imo in graviori ſtatu ipſorum menſium loco oritur, & ne illis qvidem, qvibus menſtruorum tempus ſecundum naturæ ordinem præteriit, ut vetulis, parcit „. Qvin etiam novit Cl. Vir (*m*) „ gravidas toto

(*l*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 16. theſ. pathol. §. 3.

(*m*) Ibidem §. 2.

„ geſtationis tempore eidem obnoxias „. Qvæ ſingula adeo vera & indubitata ſunt, ut qvotidiana illis experientia ſuffragetur. Etenim continuo affligentis mali exempla, præter ſuperius allata (*n*), præbent etiam SCHENKBECHERI (*o*) ægra, LOEWII (*p*) matrona, ac vetula FÜRSTENAUII (*q*). Menſium fluxui præcurrentis vel ſuccedentis vel etiam ſuffecti ſpecimina alibi (*r*) referentur. Omnino autem vagus erat apud B. SILVATICUM (*s*), qvi matronæ 42 annor. cachecticæ, admodumqve hyſtericæ, ventre cum cruribus tumente „ freqvens & profuſus aqvoſæ materiæ ex „ utero effluxus menſtruam purgationem „ plurimum prævertit, illi qvandoqve ſuc- „ cedens, aliqvando vero tempore vacuo, „ imo & dum utero geſſit, erumpens „.

2. *Qvalitates*, qvas humor effluens præ ſe fert, qvas inter in primis eſt

a) *Color* ejus, qvi licet ut plurimum eſſe *albus* obſervetur (a qvo etiam morbus

---

(*n*) Vide §. 2. I. No 3.

(*o*) Vide §. 55. d).

(*p*) Vide §. 35. B. d)

(*q*) Vide §. 66.

(*r*) Vide §. 16.

(*s*) l. c. No. 9. p. 302.

fluoris albi nomen adeptus eſt), ſerumqve lactis aut cremorem hordei æmuletur, cujusmodi fuit in caſibus ALBRECHTI (*t*), FORESTI (*u*), GALENI (*x*), HOFFMANNI (*y*), MÜNNICHII (*z*), STAHLII (*a*), STÖRCKII (*b*), &c. tamen haud raro etiam ab eodem magis minusve abludit; qvippe qvi jam ſit *pallidus*, jam *flaveſcens* ſeu (ut Veteres dicere amant) bilioſus, qvalis matronæ FORESTI (*c*), POTERIIqve (*d*), ac virgini JUCHII (*e*) erat, jam *virideſcens*, velut in mulieribus BURGGRAVII (*f*) & COCKSENII (*g*), matroniſqve HARDERI (*h*) una, ac binis B. SILVATICI (*i*), qvarum alteri (*k*) ſterili, a ſexennio poſt menſium tarde fluentium periodum ſemper effluebat materia viridis porracea, nigra, per 10 dies, cum virium jactura, anorexia, doloribusqve abdominis, lumborum, ingvinum, cru-

(*t*) Vide §. 35. B. g).
(*u*) Vide hiſtor. 3.
(*x*) Vide hiſtor. 1.
(*y*) Vide §. 35. B. 1). & §. 70.
(*z*) Vide hiſtor. 6.
(*a*) Vide §. 5. No. 10.
(*b*) Vide §. 35. B. b).
(*c*) Vide hiſtor 3.
(*d*) Vide hiſtor. 4.
(*e*) Vide hiſtor. 7.
(*f*) Vide §. 45. No. 1.
(*g*) Vide §. 71.
(*h*) Vide infra in d).
(*i*) Vide §. 35. A. c.)
(*k*) l. c. No. 26. p. 317.

rum per vices recurſantibus, jam loturæ carnium inſtar *ſubcruentus*, jam *fuſcus* & *ſubniger* (*l*), qvalis interdum STÖRCKII (*m*) in femina viſus, &c. pro vario ſcilicet morbi vel ortu vel gradu. Qvandoqve etiam color hic admodum eſt *varius*, velut in BLASII (*n*) qvadragenaria, & vetula FÜRSTENAUII (*o*), ac SILVATICI (*p*) matrona; in primis vero ex albo in flavum ac virideſcentem vergere conſvevit, ut in MARXII (*q*) SCHENKBECHERIqve (*r*) feminis, ac MORGAGNII (*s*) virgine. GALENICI morbos qvosqve ab humorum qvaternario, duplici nempe bile, pituita, ac ſangvine, repetere ſoliti, & illos e vario excretorum colore determinantes, hic etiam id ipſum tenuerunt, ſtudioſaqve diagnoſi ope linteoli vel bilem vel pituitam vel ſangvinem prædominantem, unde leucorrhæa ortum duceret, detegere ſatagebant, ut in AETIO (*t*) videre eſt. Nos vero ad alia longe hodie reſpicimus.

(*l*) RIVER. Prax. med. L. 15. C. 4.

(*m*) Vide §. 55. d).

(*n*) Vide §. 35. B. c).

(*o*) Vide §. 66.

(*p*) Vide §. 2. I. No. 3.

(*q*) Vide §. 55. c).

(*r*) Ibidem d)

(*s*) Vide §. 35. B. b.)

(*t*) Tetrabibl. 4. Serm. 4. Cap. 65.

b) *Conſiſtentia* qvoqve, etſi ſero lactis vulgari in fluxu æqviparetur, qvalis in TERRANEI (*u*) ſeptenni puella adfuit, non ubiqve tamen eadem obſervatur. Aliqvando enim humor profluens *aqvoſus* eſt, ut in muliere BURTONI (*x*), binisqve SILVATICI (*y*) matronis, qvarum poſterior (*z*) 30 annor. ob menſes variis animi turbis imminutos in biennalem immodicum ▽æ fluxum uterinum incidit, qvalem HARDERI (*a*) etiam matrona perpeſſa eſt. Aliis multo eſt viſcidior, pituitamqve vel mucum refert, ut in caſibus BURGGRAVII (*b*), GAHRLIEPII (*c*), HOFFMANNI (*d*), MÜNNICHII (*e*), SCHAARSCHMIDTII (*f*), SCHENKBECHERI (*g*), STAHLII (*h*), STÖRCKIIqve (*i*) videre eſt; ita ut mucus hic albumini ovi ſæpenumero ſit ſimillimus, qvalem HOFFMANNI (*k*) qvadragenaria, &

(*u*) Vide §. 6.
(*x*) Vide §. 35 B. d).
(*y*) Vide præced. No. 1.
(*z*) l. c. No. 27. p. 318.
(*a*) Vide infra in d).
(*b*) Vide §. 45. No. 1.
(*c*) Vide §. 6.
(*d*) l. c. Obſ. 6.
(*e*) Vide hiſtor. 6.
(*f*) Vide §. 33.
(*g*) Vide §. 55. d).
(*h*) Vide §. 5. No. 10.
(*i*) Vide hiſtor. 10.
(*k*) Vide §. 37.

B. SILVATICI (*l*) matrona poſt abortum, excernebant.

c) *Odor* porro profluentis materiæ haud raro nullus eſt, velut in STÖRCKII (*m*) femina, præcipue morbi initio, qvi deinceps gravis diuturniore in morbo efficitur, fœtidiſſimusqve demum evaſit in mulieribus BLASII (*n*), BOETTICHERI (*o*), BURTONI (*p*), COCKSENII (*q*), STÖRCKII (*r*); ac HOFFMANNI (*s*). Talem etiam J. J. HARDERUS (*t*) „ puellam 17 annor. . . vidit, „ qvæ orbata menſtruo fluxu a ſero hoc „ profluente, atqve qvod negligentius mali „ hujus curam habuit, acrimoniam inſignem „ aqvirente, adeo læſa fuit, ut ſumma cum „ difficultate incederet, fœtoreqve, qvem „ naturalia ſpirabant, una adſtantibus reli„ qvis moleſta eſſet „.

d) *Acrimonia* autem ſub exordium morbi nulla plerumqve ſentitur, velut in HOFFMANNI (*u*) ac LOEWII (*x*) matro-

(*l*) l. c. No 30. p. 320.
(*m*) Vide §. 35. B. b).
(*n*) Ibidem c)
(*o*) Ibidem d)
(*p*) Ibidem.
(*q*) Vide §. 71.
(*r*) Vide §. 55. a).
(*s*) Vide §. 70.
(*t*) Miſc. nat. cur. dec. 3 ann. 2. obſ. 102.
(*u*) Vide §. 37.
(*x*) Vide §. 35 B, d).

nis, feminaqve STÖRCKII (*y*), vel ſiqva interdum per intervalla obſervatur, ut in RIEDLINI (*z*) qvadragenaria, ea potiſſimum ab acribus ingeſtis (acidis, ſalſis, ſpirituoſis, aromaticis) inducitur. Ubi tamen morbus in longius proceſſerit tempus, fluor qvoqve ſenſim acrimoniam contrahit, qvemadmodum accidit HARDERI (*a*) puellæ, HOFFMANNI (*b*) qvadragenariæ, mulieri NIZETI (*c*), feminisqve SCHAEFFERI (*d*), STÖRCKII (*e*), ac WINTERI (*f*), præſertim vero ſi prava accedat medicatio BÜCHNERO (*g*) teſte. Hæc acrimonia qvibusdam in ægris uſqve adeo intenditur, ut ſubinde evadat rodentiſſima, præſertim ubi acris ſimul humorum diathiſis præſto eſt, aut ubi fluor uterum vaginamve ulceravit. Sic acerrimam leucorrhœam ægræ BOETTICHERI (*h*), HEISTERI (*i*), ac STÖRCKII (*k*), &c. ſunt expertæ.

(*y*) Ibidem b).
(*z*) Vide §. 57 No 2.
(*a*) Vide præced. c).
(*b*) Vide §. 37.
(*c*) Vide §. 71.
(*d*) Vide §. 69.
(*e*) Vide §. 55. a).
(*f*) Vide §. 49.
(*g*) Vide §. 43.
(*h*) Vide §. 35. B. d)
(*i*) Vide §. 50.
(*k*) Vide §. 55 a).

3. *Uber-*

3. *Ubertas* vero emanantis fluidi cum per principia ut plurimum ſit exigua, dein a diuturnitate incrementa capit, velut in virgine JUCHII (*l*), matronaqve HOFFMANNI (*m*), ac MÜNNICHII (*n*) muliere, usqve dum adulto morbo evadat inſignis, id qvod e caſibus DEGNERI (*o*), DETHARDINGII (*p*), FÜRSTENAUII (*q*), MURALTII (*r*), PECHLINI (*s*), RIVERII (*t*), SCHAARSCHMIDTII (*u*), STÖRCKII (*x*), TERRANEIqve (*y*) pateſcit; qvin imo interdum incredibilis ejus vis elabitur, qvam BURGGRAVII (*z*) mulier torrentis pene ad inſtar eſt experta, BURTONIqve (*a*) mulieri tanta erumpebat ubertate, ut penetratis omnibus togis in ſedili qvoqve, ubi aſſurrexiſſet ægra, reperiretur. Incredibili etiam copia matronæ ALBRECHTI (*b*) manabat, & qvam tractaverat J. J. HARDERUS (*c*) ſæpius jam partu levatam, tamqve

(*l*) Vide hiſtor. 7.
(*m*) Vide §. 35 B i)
(*n*) Vide hiſtor. 6.
(*o*) Vide §. 38 f).
(*p*) Vide §. 54.
(*q*) Vide §. 66.
(*r*) Vide §. 35. B. b).
(*s*) Vide §. 38 a).
(*t*) Vide §. 45 No 1.
(*u*) Vide §. 33.
(*x*) Vide §. 35 B. b).
(*y*) Vide §. 6.
(*z*) Vide §. 45 No 1.
(*a*) Vide §. 35 B. d).
(*b*) Ibidem g).
(*c*) l. c.

moleſte ſemper menſtruantem, ut omni periodo lectum petere coacta ſit, ob adeo copioſum primis diebus fluxum ſangvinis, grumis qvandoqve interpolatum, ut ſæpe ſyncopen cauſarit; cui circiter octiduo poſt ſucbita ſucceſſit leucorrhœa, uſqve adeo copioſa, ut haud raro ½ menſura laticis aqvoſi acriuſculi ac ſubinde virideſcentis efflueret. Unde matrona formoſa prius, roſea, alacris, nunc pallebat cum anorexia, palpitatione cordis, ac dyſpnœæ ad motum per acclivia acceſſione. Data jura herbacea, ſal volat. blandus, corallia, ſangv. draconis, ♂lia, aliaqve anticachectica, affectionem maximam partem ſuſtulerunt.

4. *Contenta* deniqve prætereunda non ſunt, qvæ in humore excreto nonnunqvam reperiuntur, atqve ut de ſtriis grumuliſve ſangvinis, fibris, ac granuloſa materia in STÖRCKII (*d*) femina, dicam nihil, *vermiculi* aſcaridum forma in primis notandi ſunt, qvi dicto in humore ſubinde ſunt obſervati. Sic apud J. STORCHIUM (*e*) puerpera 26 annorum, dum alias qvoqve teneros id genus vermiculos, pruritum cauſantes cum

(*d*) Vide §. 35 B. b).

(*e*) Obſ. clinic. ann. 8 Maji Cl. 2. No 3. p. 465. ſq.

fluore albo excreviſſet, eodem in puerperio integrum illorum glomerem, fabam magnum, excrevit. Trimeſtri etiam ſpatio hujusmodi vermiculis cum fluore uterino prodeuntibus COCKSONI (*f*) ægra fuit vexata. Verùm haud abs re iſthic dubitari poteſt, in uterone vermiculi illi excluſi ſint, an illuc ex ano irrepſerint? Aſcarides in utero reperiri etiam, binæ hànc in rem ſvadent obſervationes, nempe (*g*) „ mercatoris Norici ...
„ conjux (narrat M. HOFFMANNUS) ætatis anno 44to cum inſigni pruritu plurimos candidos vermiculos aſcarides dictos qvotidie per muliebre pudendum excernebat, mox intereuntes, qvorum ulteriorem proventum injectiones uterinæ amaræ ex decocto colocynthidis paratæ dein prohibuerunt „. Alteram ſuppeditat B. TIMAEUS (*h*): „ A. 1629. Ill. D. TORQVATUS de Comitibus, exercitus Cæſarei campi Mareſchallus ... edicto publico cavit, ne qvis ex ſtationariis concubinam aleret, & ſi qvæ hactenus altæ fuiſſent,

---

(*f*) Vide §. 71.

(*g*) Mantiſſ. obſ. ſelect. obſ. 27 in Miſc. nat. cur. Cent. 9 & 10. append. p. 458.

(*h*) Caſuum medic. L. 4. caſ. 6.

B 2

„ intra triduum ſub pœna fuſtigationis removerentur. Mandato ut pareret … Tibicen qvidam, raptam non ita pridem per vim villici cujusdam filiam monuit, ut conſortio abſtineret, urbeqve qvam primum excederet. Illa nexum conjugalem, qvem raptor promiſerat, urgere, inſtantiusqve propter ingravidationem, qvam prætendebat, flagitare. Hic contra acrius inſtare, mortemqve, ni abitum maturaret, minari, tandemqve obluctantem gladio confodere auſus eſt. Demortuæ ventrem ut ſubito propter animantis ſpem aperirem, juſſit Ill. D. Campi Mareſchallus. Aperui; ſed præter mucoſum qvid, & ingentem aſcaridum viventium & hinc inde obreptantium numerum, nihil in utero repertum „. Priore in caſu ſane amara colocynthidis in genitalia injectio etſi præſentes vermiculos necare potuerit, haud tamen impediviſſet, qvo minus illuc ex ano (ſi hinc illuc deveniſſent, & non ipſo in utero excluſi fuiſſent) deinceps etiam arrepſiſſent. In poſteriore autem caſu autopſia directa veritatem aſcaridum in utero nidulantium evincere videtur. Neqve etiam in STORCHII puerpera ex ano in vaginam glomeratim, ut excreti ſunt, arrepſiſſe potuere. Qvid qvod nulli harum ægrarum

aſcarides inteſtinorum crearint moleſtias, nec vermiculi COCKSONO viſi reapſe fuerint aſcarides? Cui rei & id ſuffragari videtur, qvod loca qvæqve ulceroſa, aut muco abundantia (ut ſunt v. g. ſinus frontales) facile verminoſam proſapiam hoſpitio donent. Sic apud F. MAURICEAU (*i*) mulier 50 annor. cum poſt biennem catameniorum plenariam ſuppreſſionem in uteri demum hæmorrhagiam 7 menſes continenter durantem incidiſſet, cancroſum uteri ulcus ex iſthac reportavit, qvod qvotidie varium rubellum, fœtidum, interdumqve cruentum humorem reddebat tanta cum putredine, ut vermes granum hordei craſſi ibidem naſcerentur. Poſt 6 menſes miſera obiit. Verum hæc omnia non ejusmodi tamen ſunt, qveis res confecta videri poſſet; nam etſi aſcarides in utero anatome detexerit, num ideo ibi eos generatos fuiſſe, nec ex ano illuc advenire potuiſſe conſeqvitur? Non meminit TIMAEUS eos in recto inteſtino ſimul repertos? At nec meminit illud fuiſſe luſtratum! Cur autem injecto colocynthidis decocto in vaginam non amplius viſi ſint, cum varia adferri poſſint, tum unum illud ſuffecturum puto, qvod ni-

(*i*) Obſ. chir. obſtetr. Cent. 1. Obſ. 61.

mirum parte decocti per vaginam in rectum reſorpta utrinqve necari potuerint. Atqve his magnopere favet R. F. OVELGÜNII (*k*) hiſtoria: „ infimæ ſortis vir ... me (ait ille) „ conveniens in hunc modum me alloqvi-„ tur: 12ma jam agitur puerperii uxoris meæ „ ſeptimana; 8vo die foras prodiit puercu-„ lum ſuum qvæſitum. Ex eo ſtatim cor-„ repta fuit fluore albo; non ceſſante juſto „ puerperii ac conſveto purgationis uteri-„ næ tempore, ſed per id tempus continu-„ ante, interne pariter atqve externe mu-„ liebria aggrediente & excoriante. Sub „ emiſſione laticis urinoſi multus dolor, „ haud dubie ea ex cauſa eſt, ejus tamen „ incontinentia haud laborat. Et qvod demi-„ ror, multi vermiculi eorum æmuli, qvi in „ caſeis reperiuntur, ex interioribus arvi mu-„ liebris prodeunt. Hæc ille. . . Iterum atqve „ iterum qværo, an certo ſciat, hos vermi-„ culos ex parte, qva mulier eſt, non ve-„ ro ex inteſtino recto ... prorepere? Ille „ iſthoc etiam atqve etiam . . . adfirmat. „ Hinc ſeqventem præſcribo formulam medi-„ cam, majorem in modum ſimul imperans,

---

(*k*) Nov. act. nat. cur. Tom. 3. Obſ. 60. p. 274. ſqq.

„ ut partem affectam ſuis, non alienis, uſur-
„ pet oculis:

℞. Rad. Jalapp. reſinoſ.
Magneſ. alb. optim. aa. ʒiij
☿ dulc. bene ppt. ʒj. M. F. ℥,
„ de qvo 1mo, & deinde 4to qvovis die
„ drachma miſceatur cum pauca ▽æ calidæ
„ qvantitate, & primo mane exhibeatur,
„ dehinc per 3 horarum intervallum nihil
„ cibi, poſtea vero cremor hordei, cum le-
„ ni continuatoqve motu, in uſum trahatur.
„ Cum hoc ſimul alterum conjunxi reme-
„ dium:

℞. Raſ. lign. ſaſſafr.
Rad. Bardan.
Althææ aa. ℥ij
Liqvirit. ℥ß.
Herb. Veronic. M. ij
Rutæ murar.
Flor. Hyperic. aa. M. ß. inciſ. &
„ contuſ. M. F. ſpecies pro decocto, de
„ qvibus qvavis die, qva laxationi non va-
„ cat, 3 cochlearia plena miſceantur cum 2
„ ℔ ▽æ ferventis, hisqve per bihorium
„ cineribus calidis impoſitis, dein percola-
„ tis, 3 vicibus, nimirum hora 4ta 5ta &
„ 6ta matutina hanc qvantitatem aſſumat, ad
„ horam 8am uſqve calide cubando. Ter-
„ tium remedium ſeqvens erat:

℞. Succin. ppt. ℥ſs
Myrrh. rubr. elect.
Matr. perl. pp. aa. ʒij. M. F. ℥,
„ de qvo ʒſs cubitum ituræ detur cum tranſ-
„ piratione nocturna aucta. Ceterum auctor
„ fui, ut herb. Veron. M. jſs & ſummit.
„ centaur. min. M. j cum ▽æ ſ. q. ad re-
„ manent. ℔ j decoctis externe calidiuſcu-
„ le cum ſpongia linteisve duplicatis in u-
„ ſum vocaret. His factis maritus rediens
„ nunciavit, qvod ſub uſu remediorum pri-
„ mis diebus fluor albus incrementa ceperit,
„ procedente vero tempore hic ipſe ſen-
„ ſim imminutus fuerit, medicamentis vero
„ conſumptis plane ceſſaverit. At vero,
„ (metaſtaſi forte humoris ſeroſo-pituitoſo-
„ acris non penitus eliminati facta) ceſſa-
„ tionem fluoris albi excepit dolor in genu
„ ſiniſtri pedis, itemqve in inferiore ejus
„ articulatione, & ſub poſteriore plantæ
„ parte, ut ſurgens pedi inſiſtere haud va-
„ luerit, ſub qvo incommodo id erat me-
„ morabile, qvod qvo magis ægra pede,
„ moleſtia ſibi facta, incedebat, eo mino-
„ ra erant dolorum tormenta, & eo melius
„ incedere potuit. Ob rem anguſtam domi
„ remedium commendavi ex herb. Betonic.
„ & Trifol. fibrin. aa. M. j cum ▽æ ℔ v.
„ decoqvendis: qvo decocto cum regimine

„ blando ſudorifero juſta doſi mane ſumpto
„ ceſſat & hoc, qvod ægre tulit, malum.
„ Qvod vero ad aſcarides attinet, exhi-
„ bito pulv. laxante bis terve largius de-
„ poſuiſſe alvum, de uxore ad me refere-
„ bat . . . maritus, ipſas vero feces alvi-
„ nas indefinito numero puſillorum vermi-
„ culorum qvaſi multo ſemine conſperſas in-
„ fectasqve fuiſſe, nihil vero horum ex
„ matrice prodiiſſe, oculata fide affirma-
„ bat „.

§. 5.

II. *Functiones* triplices in leucorrhœa nonnunqvam ſunt prorſus integræ, velut NEUHOLDI (*l*) viduæ, virgini PECHLINI (*m*), RÜCKERI (*n*) vetulæ, infanti SCHAARSCHMIDTII (*o*), ac puellæ octenni TILLINGII (*p*) pallidæ manſere; alias vero plus minusve ab ſanitatis ſtatu recedunt, atqve eum fere in modum, qvem

(*l*) Vide §. 35. A. f).
(*m*) Vide §. 76.
(*n*) Vide §. 6.
(*o*) Vide §. 18. d).
(*p*) Vide §. 37.

cachexia lenta mucoſa, præſertim vero chlorotica, leucorrhœæ familiaris, invehere conſvevit. Unde ſolennia hujus morbi ſymptomata ſunt

1. *Dolor* varius, præcipue vero caput, ſpinam dorſi, lumbos, imos artus, ſtomachum, inteſtina varia intenſitate laceſſens, nec utero parcens.

2. *Tenſio* hypochondriorum vel hypogaſtrii.

3. *Dyſpepſia*, cum anorexia, ructibus, nauſeis, vomitu, ſitiqve.

4. *Alvus* ut plurimum ſegnis vel adſtricta, rarius fluxa, ſubinde teneſmodes.

5. *Urina* turbida, qvandoqve difficulter excernitur, imo & nonnullis ſupprimitur.

6. *Menſes* vel profuſiores fluunt, vel inordinati, vel parciores, vel decolores, vel ſuppreſſi ſunt.

7. *Habitus corporis* initio pallidus cum tumore paſtaceo, pedumqve oedemate: provecto autem in deterius morbo febricula veſpertina hecticodes ſupervenit cum corporis extenuatione.

8. *Præcordia* anxietas, palpitatio, dyſpnœaqve, præſertim ad motum, tenet.

9. *Laſſitudo debilitaſqve* virium cum incedendi difficultate ægras efficit ſegnes.

10. *Animus* ad hæc dejectus, moroſitas, melancholia haud raro accedunt. &c. Omnia hæc in obſervationibus per libelli decurſum occurrentibus paſſim reperire erit, de qvibus etiam ſummatim HIPPOCRATES (*q*): „ cum fluor albus (inqvit) ſubor„ tus fuerit, urina qvalis aſini apparet, & „ dolor imum ventrem, lumbos ac laterum „ inanitates detinet, crura ac manus intu„ meſcunt, oculorum cava elevantur, & „ oculi humeſcunt, color auriginoſus & „ albus redditur; cumqve deambulat, an„ helatione corripitur „. Interea vero paradigmatis inſtar caſus G. E. STAHLII (*r*), in qvo horum ſymptomatum geneſis, nexus, & incrementum elucet, hic tironibus ſerviet, nempe mulier 22 annorum, biennium nupta, at huc uſqve ſterilis, ex qvo virum admiſit, proxima inde menſium periodo univerſi corporis laſſitudinem cum hypogaſtrii tenſione, preſſione, ponderiſqve ſenſu, ac demum inſigni etiam dolore,

(*q*) De natur. muliebr. FOES. T. 1. p. 567. ſq. Conf. etiam, qvæ de morb. mul. L. 2. fol. m. 641. ſqq

(*r*) Colleg. caſual. magn. Caſu 68. p. 673.

perſentiſcere cœpit. Tum catamenia proceſſere qvidem, at parcius ſolito, pergenteqve dolore; qvorum in fine ſucceſſit humoris albi mucaginoſi profluvium, manente etiam tum, imo increſcente ſemper, preſſivo illo dolore. Cumqve poſt abſolutum menſium penſum ægra variis cibis dyſpeptis indulgeret, auctis pedetentim doloribus ſe junxit vehemens anxietas, ac leucorrhœæ fluxus evadebat cum uberior tum diuturnior. Cetera adſuit corporis totius gravitas, præſertim vero inferiorum artuum, periit appetentia, & creſcente ad uſum dyſpeptorum leucorrhœa ſymptomata qvoqve increſcebant, pallente facie cachectica, inflata; & qvo fluor albus diuturnior fiebat, eo luculentiores etiam circum oculos livores ægra nacta eſt.

CAPUT III.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. 6.

1. *Ætas* leucorrhœæ obnoxia in primis *conſiſtens*, F. HOFFMANNO (*s*) teſte, obſervatur; licet ſecundum HIPPOCRATEM (*t*) „ fluor albus ſenioribus magis, „ qvam junioribus contingit, fulvus utriſ„ qve, ruber junioribus „: niſi (ut videtur) ſeniores, qvæ conſiſtente ſunt ætate, accipiendæ ſint. Interea tamen qvandoqve admodum etiam juvenis, imo tenera, ætas fluore albo affici eſt obſervata. Sic apud B. SILVATICUM (*u*) adoleſcentula ſana, rubicunda, ante 12 ætatis annum in chloroſim incidit cum pica & leucorrhœa: effluens humor flaveſcens erat, ac parumper cruentus. Undennis erat STORCHII (*x*) puella hoc malo affecta, & J. DOLAEUS (*y*)

(*s*) l. c. theſ. pathol. §. 2.
(*t*) De morb. mulier. L. 2. §. 1.
(*u*) l. c. Cent. 2. No. 68. p. 169.
(*x*) Vide §. 61. c.)
(*y*) Encycl. med. L. 5. C. 4. §. 1. p. m. 498.

leucorrhœam „ in puella nobili nondum 10 „ annum egreſſa jam jam (ait) obſervo, „ & cui medicinam facio „. Perinde TERRANEUS (*z*) apud J. B. MORGAGNIUM (*a*) puellæ circiter novennis meminit a fluore albo perſanatæ, & „ dixit mihi, inqvit C. F. PAULLINI (*b*), in Eichs- „ feldia cordata obſtetrix de fluore albo „ puellæ vix novennis, cui purgato prius „ corpore medicus . . . ther. cœl. caſſ. „ cum ſirupo corall. dederat „. Octennem vero eodem fluxu diu graviterqve moleſtatam viderat J. FERNELIUS (*c*), cujus etiam ætatis fuere puella NESTERI (*d*) ac TILLINGII (*e*). „ Nota „ mihi, inquit etiam P. HOECHSTETTERUS (*f*), eſt puella, cui ætas menſtrua „ negavit, & anni ſemen; at hanc (ſymp- „ tomata) hyſterica ac convulſiva fatiga-

---

(*z*) De glandulis poſt C. 5. Obſ. 2.

(*a*) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 47. No. 15.

(*b*) De theriac. cœl. S. 2. P. 3. membr. 8. C. 3. §. 2. p. 290.

(*c*) Pathol. L. 6. C. 16. §. 5.

(*d*) Vide §. 61. a).

(*e*) Vide §. 37.

(*f*) Obſ. med. dec. 4. ſchol. ad caſ. 1. p. 294.

„ runt, . . . & albus fluor moleſtavit, ut „ infra octavum ætatis fluxerit copioſe „. Apud J. N. PECHLINUM (g) duæ ſeptennes in idem ægritudinis genus lapſæ ſunt, qvarum priori virium diſpendium attulit, nulli remedio cedens, qvoad ſponte deſiit; poſteriori autem præ ubertate periculum minabatur. Alia TERRANEI (h) puella itidem ſeptennis e genitalibus qvaſi „ ſerum „ lactis non dum clarificatum emittebat co- „ pioſe non ſine ardore aliqvo & pruritu „. Ejusdem ætatis puella hoc ipſo morbo affecta HEISTERI (i) curæ obtigit; ſeptimum vero annum ingreſſa erat DETHARDINGII (k) ægra, & ſexennem aliam KOELICHEN (l) a leucorrhœa perſanavit. Imo 3 aut 5 annorum infantis meminit SCHAARSCHMIDT (m). Verane leucorrhœa fuit in G. C. GAHRLIEPII (n) infante? Hæc primis a partu 5 diebus nihil

(g) Obſ. phyſ. med. L. 1. Obſ. 34. p. 82. & M. N. C. dec. 1. ann. 9. obſ. 28.

(h) l. c.

(i) Vide hiſtor. 8.

(k) Vide §. 54.

(l) Vide §. 58. No. 1. b).

(m) Vide §. 18. d).

(n) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 7. obſ. 140.

emiſit lotii, triduum vagiit, poſtea per vulvam biduo excrevit humorem album, viſcidum, in longum ductilem, qvo ſenſim in ruborem tranſeunte ſucceſſit ſangvis per 5 dies, ſenſim paucior, qvo demum ſubſiſtente urina ſine ulla moleſtia proceſſit. Poſſe leucorrhœam vel primo qvoqve jam ætatis anno oboriri, præſertim ſi hæreditate accepta ſit, documento eſt RAULINI (*o*) puella annicula. Aliam qvoqve nobilibus ortam parentibus novit F. A. WEIZ (*p*), cui non dum anniculæ fluor albus accidit, perſtititqve in multos etiam matrimonii annos cum ſterilitate. Narrat qvoqve M. SCHURIGIUS (*q*) A. 1692 Dreſdæ a cauſidici uxore puellam partu fuiſſe editam, qvæ mox a nativitate ad 1½ uſqve ætatis annum catamenia juſtis ex intervallis habuit; abhinc vero illorum in locum leucorrhœa ſucceſſit, biennium durans, periodoſqve menſtruas tenens, a qva puella tantopere enervabatur, ut ante annum octavum vix incedere didicerit. Poſtmodo vero collegit vires;

(*o*) Vide §. 8.

(*p*) Neue Auszüge aus Diſſert. für Wundarzte 11. Band No 2. p. 10.

(*q*) Parthenol. p. 139.

nuptui-

nuptuiqve data ſana vixit. Sed hæc rara ſunt: „ freqventius vero, inqvit F. HOFFMANNUS (r), evenit, & incipit hic „ fluxus circa annum 13 vel 14, qvo tem„ pore feminis menſtrua erumpere ſolent„ velut id Gedanenſibus puellis hac ætate contingere, etiam non dum menſtruatis, referunt Annales Vratislav. (s), qvodqve in MORGAGNII (t) virguncula 14 annorum, tum TILLINGII (u) puella ac neonupta ejusdem ætatis J. G. HENTRICHII (x) accidit, qvarum ad cenſum pertinet etiam J. STORCHII (y) puella 14 annorum, cui molimina menſium febri catarrhali rheumaticæ complicata paſſæ detractis declinante morbo ſangvinis e pede ℥jx ſymptomata remiſere; ac poſt aliqvot dies leucorrhœa erupit, qvam poſt 14 dies prima catamenia ſecuta ſunt. „ Nullatenus igitur, inqvit

(r) l. c.

(s) Tentam. 15. A. 1721. Mart. Cl. 2. art. 3. §. 1. p. 248.

(t) l. c. No. 14. 15.

(u) Vide §. 45 No. 2.

(x) Vide §. 35. A. c).

(y) Von Weiberkrankheiten 2 Band caſ. 108. p. 370.

„ ROD. a CASTRO (z), MONTANO acce„ dendum eſt, qvi virginibus hunc fluo„ rem nunqvam accidere contendit, & cau„ ſam inducit viarum adſtrictionem: qvod „ ſi contingat, ex eo corruptam eſſe in„ caute pronunciat; cum tamen illa cauſa „ ſit, qvod raro, at non qvod nunqvam „ virgines hoc malo exerceantur . . . „ Ego honeſtiſſimas ac integerrimæ famæ „ virgines tum in Hiſpania tum in Germa„ nia vidi & curavi, qvæ per triennium, „ anteqvam menſes prorumperent, hunc „ affectum paſſæ ſunt „. Freqvens etiam puellis Auguſtanis hoc malum eſſe teſtatur PHIL. HOECHSTETTERUS (*a*). Ætas vero menſtruis jam defuncta, etſi minus hoc malo infeſtari ſoleat (cum enim fluor albus per eadem vaſa, e qvibus ſanguis menſtruus ſcaturit, contingat; liqvet, ſi illa ad ſanguinem tranſmittendum jam inepta ſunt, etiam fluori albo eadem haud favere), non eſt tamen ab illo prorſus immunis. Vidit eum in virgine 64 annor.

(z) De univ. muliebr. morb. medicina L. 1. C. 14. p. m. 87.

(*a*) l. c.

C. F. KÄLTSCHMIED (*b*), in vetula 70 annor. FÜRSTENAU (*c*), in alia itidem vetula FORESTUS (*d*), & „hunc ipſum „ porro matrona qvædam ſeptuagenaria ma-„ jor abſqve ſanitatis detrimento ultra tri-„ meſtre ſpatium experitur, neqve fluori „ qvidquam, præter juſtam rhabarbari doſin „ opponit „ qvam J. D. RÜCKERUS (*e*) memoriæ prodidit.

§. 7.

2. *Corpus laxum, obeſum, phlegmaticum.* Nolo hanc in rem prolixis pathologicis argumentis differere; id unum evictum eſt, corpora vel ab origine vel certe vitio 6 rerum non naturalium, præſertim vero otio diuturno (*f*), laxa fieri; neqve aliam eſſe leucorrhœæ ſcaturiginem, qvam vaſorum vel uteri vel vaginæ ob juſto majorem eorumdem laxitatem anaſtomoſin (*g*),

---

(*b*) Vide §. 35. A. c). Diff. cit. §. 9. No. 2.

(*c*) Vide §. 66.

(*d*) Vide §. 35. A. b).

(*e*) Commerc. Nor. T. 4. A. 1734 hebd. 8. No. 6. p. 59.

(*f*) Vide §. 78.

(*g*) Vide §. 19. ſqq.

cui ſuſcipiendæ obeſa phlegmaticaqve corpora ſunt perqvam idonea, ita ut ceteris paribus ab eadem data cauſa procatarctica iſthæc longe facilius, qvam corpora ſtricta, leucorrhœam contrahant.

§. 8.

3. *Hæreditaria labes*, ut in ceteris chronicis morbis, ita & in hoc nonnunqvam ſubeſt; qvalis aderat in RAULINI puella (*h*), nec non in domicellæ (*i*) admodum juvenis nuptui datæ prolibus; etenim cum brevi poſt nuptias leucorrhœam nacta binas poſtea puellas enixa eſſet, ſenior jam inde ab ætate bimula leucorrhœam ſæpe ſangvine tinctam patiebatur, junior vero primo mox vitæ anno eandem contraxit, tam uberem, ut ambæ (qvarum una 8um jam altera 5um attigit annum) ſæpius per diem lineas veſtes mutare cogerentur. Perinde J. W. GULBRAND (*k*) „ vidit infantes infra 6, imo „ infra 4 annos fluore albo laborantes, & „ procreatas a parentibus debilibus, matre

(*h*) Vide §. 35 B. h).
(*i*) l. c. T. 1. P. 1. S. 2. C. 1. p. 100.
(*k*) De ſangvifluxu uterino p. 34. ſq.

„ debili, ſemper fluore albo, abſqve omni „ malignitatis ſuſpicione, infeſtata „. Horſumqve pertinet, opinor, F. HOFFMANNI (*l*) conſilium olim expetens Ill. femina 30 annor. tenera, in loco mari vicino degens, vitæ ſedentariæ, cibis durioribus, (ut piſcibus marinis, in primis vero oſtreis) aſſveta, qvam poſt menſes per annum parce inordinateqve procedentes leucorrhœa invaſit moleſtiſſima, faciei pallorem, corpori maciem, animoqve metum ac triſtitiam invehens, qvæ matris eodem olim morbo afflictæ recordatio graviora etiam reddebat.

§. 9.

4. *Cachexiæ* lentæ mucoſæ, præſertim chloroſis, ſcabies, qvarum cum priore leucorrhœam adoleſcentula SILVATICI (*m*), cum poſteriore eandem STOELLERI (*n*) puella eſt experta. Chloroſis profecto diuturnior raro admodum puellas nubiles abſqve leucorrhœa eſſe ſinit. Memorabilem leucorrhœæ a cachexia lenta caſum refert

(*l*) l. c. Obſ. 2.

(*m*) Vide præced. No 1.

(*n*) Vide §. 55. a).

RAULIN (o): femina 25 annorum a prima juventute pedetentim adeo evaſit irritabilis, ut triennio ante mortem a minimo ſtrepitu pedum, januæ, voce clariore, &c. convelleretur. Circa 12um ætatis annum aliqvo ante menſium eruptionem tempore tumores ei abſceſſusqve variis in corporis partibus ita emergebant, ut curato uno alius oriretur. Tandem ſpaſmodici motus ingruebant crebriores; menſibusqve præibat leucorrhœa, qvæ in dies creſcens ad mortem uſqve duravit. Spretis tamen his malis ægra nubens 2 proles ſaniſſimas nacta eſt. Poſt alterum vero partum & ſpasmodici motus aucti ſunt, & leucorrhœa: hæc evaſit purulenta, eodemqve tempore dolor lævum abdominis latus invadens a morte tantum deſiit, cujus ſedes ob leucorrhœam in dies fœtidiorem ac magis purulentam in ovario lævo eſſe credebatur. Tandem ſymptomatis ad ſummum evectis, cum maraſmo, glandulisqve parotidibus, axillaribus, aliisqve brachiorum ac thoracis ſumme turgentibus, qvarum nonnullæ ſuppuratæ fœtidum dederunt pus, ægra paucis poſt diebus obiit. Cujus in cadavere omnia pene viſcera obſtructa

(o) l. c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 4. p. 294. ſqq.

peſſimoqve in ſtatu reperta, ſolo utero cum utroqve ovario naturalem ſaniſſimumqve ſtatum habente.

§. 10.

5. *Uteri morbi chronici*, ut tumores purulenti aut ſcirrhoſi, aliive, a qvibus leucorrhœam KRAPF (*p*), POLZER (*q*), ac STÖRCK ipſe bis (*r*), obſervarunt. PANAROLI (*s*) qvoqve femina huc facit, licet morbum ejus Auctor ad veneream claſſem retulerit.

CAPUT IV.

PROCATARCTICAE CAUSAE.

§. 11.

1. *Pathemata animi.* E. HAGENDORNII (*t*) „femina . . . implorabat opem, referens, ſe non ita pridem nimis perter-

(*p*) Vide §. 55. a.)
(*q*) Ibidem.
(*r*) Ibidem & §. 35 B. b).
(*s*) Vide §. 35 B. e).
(*t*) Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. hiſt. 87.

„ refactam in album fluorem incidiſſe, an-
„ tehac ſibi inſolitum, idqve per hanc for-
„ ſan rationem, qvod amicæ cuidam inter-
„ fuerit ex ſimili fluore laboranti, hincqve
„ nauſeam qvamdam conceperit. Fieri per-
„ gebat interdum, ut fluor hic qvodammo-
„ do ſiſti videretur, recurrens vero moram
„ iſtam longiore fluxu compenſare ſoleret.
„ Qvare malo ... obviam itum eſt idoneis,
„ a qvo etiam ſenſim fuit liberata „. Haud ſecius leucorrhœam a mœrore ortam refert ALIX (*u*). Non uno ſemper modo animi motus leucorrhœam accerſunt; ſunt, qvi digeſtionem depravando eam creent, ut mœror, timor, ira, qvorum bini priores etiam cachexiam lentam inducendo profluvium demum accerſunt. Ante omnes tamen laſcivus amor celerrime morbum inducit, dum uberiorem humorum ad genitalia affluxum continenter cauſat.

§. 12.

2. *Ingeſta* dyſpepta, vel qvacunqve ratione cacochymiam, ac laxitatem vaſorum uteri, cum motu humorum illuc adaucto,

(*u*) Vide §. 58. No 2. e).

inducentia. Sic F. HOFFMANNUS (*x*) in victum ac humidum atmoſphæræ frigus, laxitatem uteri vaſis conciliantia, cauſam conjicit, qvod morbus hic in Belgio crebrior, qvam alibi, F. SYLVIO (*y*) teſte occurrat. Perinde J. D. GOHLIUS (*z*) cauſam fluoris albi Berolini adeo freqventis, ut non indigenæ modo, ſed Gallæ etiam mulieres numeroſæ qvovis anni tempore eo infeſtentur, in aqvæ e ſolo paludoſo ſcaturientis uſum rejicit. Prava etiam diæta textoris uxori apud MURALTIUM (*a*) leucorrhœam accivit, qvam NESTERUS (*b*) qvoqve ſua in octenni puella ſacchari abuſui attribuit. Ipſe etiam tenerrimæ ætatis puellam vidi, qvæ ex portione acerrimi emmenagogi (qvod bellarium eſſe rebatur) abligurita in leucorrhœam incidit.

§. 13.

3. *Tempeſtas anni humida ac frigida*, qvalis eſſe ſolet menſibus autumnalibus, hi-

(*x*) l. c. theſ. pathol. §. 11.
(*y*) Prax. med. L. 3. C. 4.
(*z*) Act. med. Berol. Dec. 2. Vol. 3. art. 1. p. 25.
(*a*) Vide §. 35. A. d).
(*b*) Vide §. 61. a).

bernis, ac primo vere. His ſane temporibus fluoris albi exacerbationes ac reverſiones contingere Annales Vratislavienſium abunde teſtantur, & qvidem

Tent. 23	A. 1723	Febr.	Cl. 2 art. 1	§. 3	p. 143
—— 24	A. 1723	Maji	Cl. 2 art. 1	§. 3	p. 497
—— 26	A. 1723	Nov.	Cl. 2 art. 1	§. 2	p. 484
—— 27	A. 1724	Janu.	Cl. 2 art. 1	§. 4	p. 32
—— 30	A. 1724	Octo.	Cl. 2 art. 1	§. 2	p. 368
——	——————	——	—————— 3	§. 4	p. 385
——	——————	Nov.	Cl. 2 art. 3	§. 1	p. 475
——	——————	Dec.	Cl. 2 art. 3	§. 3	p. 604
—— 35	A. 1726	Janu.	Cl. 2 art. 1	§. 3	p. 41
——	——————	Febr.	Cl. 2 art. 1	§. 3	p. 163

Hiſt. morb. Vrat A. 1700 verno temp. p. 166

RAULINUS (*c*) vero leucorrhœam Pariſiis A. 1765 menſe Septembri poſt ſummum æſtum cum inſolita prorſus ſiccitate regnantem vidit, qvæ feminas nunqvam antea illi obnoxias id temporis invaſit, aliis vero eam prius qvoqve jam paſſis uberior tum & viſcoſior accidit.

§. 14.

4. *Venus immoderata.* Orgaſinus enim laſciviæ humores uberius ad muliebria ciet,

---

(*c*) l. c. T. 2. P. 3. S. 1. C. 2 p. 14.

vaſa iis laxantur, &c. unde leucorrhœa (*d*), qvam BEHRII (*e*) puella ita ſibi accivit. In neonuptis rei veritas vel maxime elucet, qvæ admiſſo per principia crebrius viro (ſeu hujus id, ſeu illarum libido popoſcit) haud ita multo poſt voluptatis immoderatæ pœnas luunt. Sic V. RIEDLINUS (*f*) feminam novit, „ qvæ jam diu in conjugio vivens „ ſub principium ſemper fere de hoc malo „ conqveſta fuit, marito tum ipſomet faten- „ te, ſe exſatiari his amoribus vix poſſe; „ jam vero remittente hac amoris vehe- „ mentia contra hunc fluxum ulterius medi- „ camentis non indiget. Et alia ... faſſa „ eſt, ſe majus levamen ab hoc malo, qvo „ valde vexatur, non percipere, qvam ſi „ maritus debitum conjugale aliqvamdiu „ non reddat „. Perinde B. SILVATICI (*g*) matrona 25 annor. ſaniſſima prius, nuptui data leucorrhœam tantum non continuam contraxit cum dolore lumborum, crurum, pedum, meteoriſmo rugiente, ſtran-

(*d*) HENTRICH Diſſ. de fluore albo benigno Præſ. C. F. KALTSCHMIED 4to Jenæ 1749. §. 10. No 2. p. 10.

(*e*) Vide §. 36. f).

(*f*) Lin med. ann. 5. April. 2. p. 328.

(*g*) l. c. Cent. 4. No 39. p. 327.

guria, ac ſterilitate. Idem GEHEMÆ (*h*) STAHLIIqve (*i*) mulieres ſunt expertæ. Complures id genus mulieres J. STORCHIO obtigere curandæ, qvas inter mulier (*k*) fuit magna, cholerica, 30 annis major, qvæ viduo triennium nupta, toto hoc tempore leucorrhœæ ſubjecta manſit ſterilis; tandem A. 1719 puellam peperit. Leucorrhœa rediit, duravitqve ad A. 1721, cujus menſe Majo alterum gravida dolentes dextro in crure nacta eſt varices: dolor earum lotione vini calidi eſt ſopitus; ſed ſuppreſſa a partu lochia eundem reſuſcitarunt, haud prius conqvieſcentem, qvam profluentibus lochiis. A. 1729 menſe Octobri tertium prægnans, octavum in menſem, magnam laſſitudinem pondusqve omnium artuum qverebatur, qvæ Væ So in pede lenivit, partu poſt 4 hebdomades conſecuto. Varices tota inde vita cum manſiſſent, leucorrhœa A. 1737, qvo vidua facta eſt, deſiit. Altera (*l*) mercatoris uxor 28 annorum, cholerica, robuſta, ſana, jam inde a principio

(*h*) Vide §. 70.
(*i*) Vide §. 5. No 10.
(*k*) Von Weiberkrankheiten 3 Band caſ. 14. p. 100.
(*l*) Ibidem 8 Band caſ. 2. p. 18.

matrimonii, in qvo jam 3 annos vixit, leucorrhœam, nunqvam ſibi ante notam, adepta eſt fere continuam cum ſterilitate, qvæ ad vernalis curationis remedia conticeſcere viſa verſus brumam denuo revertit; at reſumptis remediis tandem ter mulier intra 9 annos peperit, leucorrhœa nihilo minus perſtante, qvæ non niſi poſt 20 matrimonii annos viduæ factæ tum primum deſiit. Haud ſecius alia (*m*) matrona ob leucorrhœam multos annos ſterilis illam non prius, qvam ab obitu viri, amiſit, qvo tempore cetera qvoqve ab leucorrhœa provenientia ſymptomata eam reliqverunt. A crebriore genitalium ac præſertim vaginæ titillatione & irritatione fluxum hunc in venere nimia oriri vel inde patet, qvod alter etiam qvalisqvalis mechanicus ſtimulus vaginæ applicatus interdum leucorrhœam proritet. Sic apud M. A. WEIKARDUM (*n*) puellæ, cum inſigne ſpongiæ marinæ fruſtum vaginæ, (neſcio cur) inditum aliqvot intra horas adeo intumuiſſet, ut ſe ſe non amplius eximi pateretur, poſt complures dies obortus fluxus albo ſimilis, teterrimi fœtoris, accedente

(*m*) Ibidem p. 23. ſq.

(*n*) Vermiſchte medic. Schriften 3 St. p. 61.

lotii ardore, ſymptomatibusqve gonorrhœæ virulentæ ſolennibus: donec detecta ſpongia multoqve cum fœtore educta fluxus ille conqvievit.

§. 15.

5. *Graviditas.* Hæc nonnullis leucorrhœam jam ante acqviſitam ſolet reddere uberiorem. B. SILVATICI (*o*) matrona poſt crebros qva partus qva abortus a triennio illam patiebatur, non modo extra graviditatem, ſed concepto etiam fœtu, & gravius qvidem qvam alio tempore. Aliis vero, cum extra graviditatem non ſit moleſta, ut primum utero gerunt, accidere conſvevit, id qvod RIEDLINI (*p*), ROMMELII (*q*), ac SCHLIERBACHII (*r*) teſtantur hiſtoriæ; imo prior (*s*) feminam novit „ qvæ undecies jam concepit, qvæ ſe „ concepiſſe tum nunqvam falſo conjecit, „ qvando primo menſe elapſo loco menſium

(*o*) l. c. No 18. p. 309.
(*p*) Vide §§. 15. 48 d).
(*q*) Vide §. 38 g).
(*r*) Ibidem e).
(*s*) Lin. med. ann. 1. Novembr. 6 p. 371.

„ fluore albo laborare cœpit; cum alias vel „ per bimeſtre ſine conceptione menſibus „ obſtructis nil ſimile patiatur. Eadem e- „ tiam ſæpe & ſat fortiter ſternutat, & ab „ inſomniis tantum incommodatur, ut pro- „ pterea cum metu ſomno ſe det, & pro „ qvodam beneficio agnoſcat, ſi talibus in- „ ſomniis præſentibus expergefiat: aſt hæc „ illi . . . ſemper certo conceptionem in- „ dicaverunt „. Qva autem ratione leucorrhœa gravidis, utero licet clauſo, eveniat, facile inde intelligitur, qvod, cum fluor albus verus ex iisdem ſcaturiat vaſis, e qvibus catamenia procedunt, qvemadmodum iſta in gravidis e vaginæ vaſis haud infreqventer pullulant, ita ille etiam ex iisdem, utero licet clauſo, contingere qveat.

§. 16.

6. *Catamenia* aut imminuta, aut ſuppreſſa, aut ob ætatem provectiorem deſinentia, haud raro fluorem album poſt ſe trahunt. Sunt etiam, qveis menſes nunqvam fluxere, eorumqve velut vicariam qvovis menſe leucorrhœam patiuntur. Sunt deniqve, qvibus catamenia vel imminentia vel finientia leucorrhœam ſemper proritant. Unde liqvet, leucorrhœam vel præire vel ſucce-

dere menſtruo fluxui, vel vices ejuſdem agere deficientis. Ita COCKSENII (*t*) mulieri 3 vel 4 dies ante menſtrua fluor albus moleſtus eſſe ſolebat, qvem NEUHOLDI (*u*) qvoqve vidua aliqvot ſemper ante diebus experiebatur. Finientem vero ſemper catameniorum fluxum conſeqvebatur in PECHLINI (*x*) virgine, ac feminis RIEDLINI (*y*), STAHLII (*z*), & ERNESTI (*a*), atqve in hac mox occipiens prope ad ſeqventem uſqve periodum durabat. Matronæ vero HARDERI (*b*) circ. 8vo primum a fluxu menſium die ingruebat. In muliere deniqve HOFFMANNI (*c*) licet continuus eſſet, poſt catamenia tamen uberior procedebat. Contra autem in ejusdem matrona (*d*) ac JUCHII (*e*) virgine, tum ROSTII (*f*) & SCHENKBECHERI (*g*) feminis leucorrhœa menſium fluxum non præcedebat modo, ſed ſeqvebatur etiam. Ex imminutis

(*t*) Vide §. 71.
(*u*) Vide §. 35. A. f).
(*x*) Vide §. 76.
(*y*) Vide §. 57. No. 2.
(*z*) Vide §. 5. No. 10.
(*a*) Vide §. 43.
(*b*) Vide §. 1. No 2. d).
(*c*) Vide §. 70.
(*d*) l. c. Obſ. 1.
(*e*) Vide hiſtor. 7.
(*f*) Vide §. 37.
(*g*) Vide §. 55. d).

por-

porro, ſimulqve intenſos inter dolores erumpentibus, catameniis leucorrhœam cum nocturno calore, cephalalgia vagiſqve hypochondriorum doloribus obortam plethorica in femina J. G. ERNESTI (*h*) vidit, qvæ dato poſt Væ Sem in pede mane decocto cathartico-diuretico, veſperi autem ℥e e rad. pimp. alb. ſuccin. alb. ♁ diaphor. 🜿 vitriolato, nitro, cinnab. ad cuſp. cultri, deinceps vero eſſent. milleſ. pimp. alb. ſuccin. TRa ♁ii 🜿ſat. & balſ. Peruv. uſurpandis, remiſit, menſeſqve uberiores prodiere. Idem qvoqve parci ac decolores menſes HOFFMANNI (*i*) feminæ malum cauſarunt; qvod ad plenariam eorumdem ſuppreſſionem tanto certius accedit. Sic paulo ante laudatus ERNESTI (*k*) meminit lactantis plethoricæ, cui cum nihilominus menſes rite procedentes aliqvando emanſiſſent, fluor albus ingruit; ſed illis Væ Se in pede, uſuqve pilul. balſ. STAHL. &

(*h*) Annal. Vratiſl. Tent. 25. A. 1723 Sept. Cl. 2. art. 3. §. 5. p. 274.

(*i*) l. c. Obſ. 6.

(*k*) l. c. Tent. 22. A. 1722, Novemb. Cl. 2. art. 3. §. 4. p. 504.

infuſi vinoſi e rad. Bryon. Angel. Pimp. alb. herb. Abrotan. Meliſſæ, Roſmar. flor. Galeopſ. Millef. Roſ. lign. Saſſafr. Rheo: &c. revocatis leucorrhœa continuo deſiit. Hanc ipſam ex ſuppreſſis menſibus HARDERI (*l*) puella, IUCHII (*m*) virgo, feminaqve MURALTII (*n*), ſunt perpeſſæ. Apud J. STORCHIUM (*o*) virgini 19 annorum catamenia diu ſuppreſſa dum a remediorum uſu rediiſſent, ab hoc ipſo tempore etiam leucorrhœa occepit acris ac mordax, vehementes qvandoqve dolores, artumqve pondus, cauſans; qvam tamen profligarunt pilulæ catharticæ cum ☿io dulci, & ſumptæ qvotidie mane ac veſperi gtt. xxx ex eſſent. ligni ſaſſafr. pimpin. & TRæ ♀ri æqvis partibus miſtis. A menſibus vero per ætatem ceſſantibus eandem matrona LOEWII (*p*), femina MURALTII (*q*), nec non STARKII (*r*) Dux, adeptæ ſunt, meminitqve

(*l*) Vide §. 4. I. No. 2. c).

(*m*) Vide hiſtor. 7.

(*n*) Vide § 35. B. b).

(*o*) Von Weiberkrankheiten 2. Band. caſ. 165. p. 525.

(*p*) Vide §. 35. B. d).

(*q*) Ibidem A. e).

(*r*) Vide hiſtor. 5.

etiam J. D. GOHLIUS (*s*) mulieris 48 annorum, cui ceſſantibus ante 3 annos menſibus leucorrhœa ſupervenit, uſu tamen TRæ vitæ KÖNIGSSEESIUM circumforaneorum profligata. Leucorrhœæ deniqve menſium loco periodice revertentis exemplum præbet J. D. RÜCKERUS (*t*) „ judæa (in- „ qviens) phlegmaticæ conſtitutionis non „ niſi gravida facta lunare tributum ſolvit: „ extra graviditatis tempus menſium vices „ adhuc ſupplevit fluor albus benignus „: qvem ipſum etiam catameniorum loco & F. HOFFMANNI (*u*) qvadragenaria, & TILLINGII (*x*) puella, ſunt adeptæ.

§. 17.

7. *Partus, abortus, molæ, hæmorrhagiæ uterinæ*, haud raro leucorrhœas pertinaces, a laxitate in vaſis uteri cum ſtimulo qvodam relicta, poſt ſe trahunt, præſertim ubi ſæpius acciderant. Ita poſt hæmorrha-

(*s*) Act. med. Berol. Dec. 1. Vol. 5. art. 2. No. 21. p. 39. ſq.

(*t*) l. c.

(*u*) Vide §. 37.

(*x*) Vide §. 45. No. 2.

giam uteri in leucorrhœam incidit MARXII (*y*) matrona, & poſt partus unum pluresve, plus minus laborioſos, mulieres BLASII (*z*), BURTONI (*a*), HOFFMANNI binæ (*b*), MÜNNICHII (*c*), QVARINI (*d*), RIEDLINI (*e*), ac SCHAEFFERI (*f*). Perinde uni iteratisve abortibus ſuam debebant leucorrhœam feminæ HOFFMANNI (*g*), ac THOMPSONI (*h*). Idem a molis viſum. Sic J. STORCHII apud A. E. BÜCHNERUM (*i*) mulier 22 annor. ſangvineo cholerica, bis prolem aliam ex alia enixa, poſtea molis laborare cœpit (qvarum unam in platea excrevit): cujusmodi ſemiabortus ubi ter qvaterve perpeſſa eſt, in copioſam demum leucorrhœam incidit, nullis mitigandam remediis (forte qvod ægra inconſtans nulli illorum diu inſtiterit), citra nullam tamen cachexiam, & verſus inſeqventem autumnum

(*y*) Vide §. 55. c).
(*z*) Vide §. 35. B. c).
(*a*) Ibidem d).
(*b*) Vide §. 70. 35. B. 1.
(*c*) Vide hiſtor. 6.
(*d*) Vide §. 55. a).
(*e*) Vide §. 35. A. c).
(*f*) Vide §. 69.
(*g*) Vide §. 72. C. a).
(*h*) Vide §. 58. No. 1. c).
(*i*) Miſcell. phyſ. med. math. A. 1727. Jul. Cl. 2. art. 2. p. 405.

denuo uterum geſſit. Porro „ portento „ ſane ſimile eſt, inqvit B. SILVATICUS (*k*), qvod a viro præclariſſ. oculata fide nobis narratum. Ill. ſcil. Comitem qvadragenariam plures qvam 150 „ molas unico partu edidiſſe, variæ qvidem „ figuræ, lacertarum, cochlearum, & cancrorum fluviatilium, non ſine profuſo „ ſangvinis fluxu: a qvibus lingvæ paralyſi „ correpta eſt, & totius corporis ſtupore, „ cum cachexia & muliebri profluvio; qvibus adhucdum afficitur, lingvæ & totius „ corporis motu incolumi „.

§. 18.

8. *Metaſtaſes* ſani vel morboſi ad vaſa uteri; qvorſum in primis pertinent:

a) *Sudor* criticus perperam repreſſus, a qvo SCHLIEREBACHII (*l*) femina fluorem album eſt perpeſſa. Perinde

b) *Lac* uberum in non lactantibus reſorptum, cujus a metaſtaſi ad vaſa uteri leucorrhœam lacticinoſam naſci afferit J. A-

(*k*) l. c. Cent. 4. No. 53. p. 339.
(*l*) Vide §. 38. e).

STRUC (*m*). Teſtatur L. B. LENTINUS (*n*), pluribus qvam 10 puerperis juvenculis, qvod nec lactando, nec alia ratione lacti daretur apud eas exitus, accidiſſe leucorrhœam diuturnam, excoriantem, qva ſteriles reddebantur, atqve ad abortiendum pronæ, &c. Sic RAULINI (*o*) feminæ optimi habitus ac robuſtæ ante ſemeſtre felici partu levatæ, prolem tamen haud lactanti, lacte regurgitante lochia proceſſerunt copioſa, neqve deſierunt, ſed fluxus mutata natura ſemper perſiſtebat; tandem a trimeſtri evaſit ſenſibiliter chyloſus cum dolorificis ventriculi tenſionibus, anorexia, dyſpepſia, inſigniqve emaciatione: ſupervenit a bimeſtri crebra tuſſis, primum ſicca, dein humida, continuoqve gravior, tum etiam febriles motus cum ſudoribus nocturnis (i. e. phthiſis nervoſa ſecundi gradus). Meminit etiam alius (*p*), cui poſt felicem partum non lactanti; licet robuſtiſſima eſſet, e lactis metaſtaſi femur dextrum cum crure ſumme intumuit, doluitqve; tumores metaſtatici internum præ-

(*m*) Tract. de morb. mul. L. 1. C. 10 §. 2.
(*n*) Beobachtungen einiger Krankheiten p. 137.
(*o*) l. c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 9. p. 340.
(*p*) Ibidem p. 341.

ſertim latus inſederunt tuberum forma, in qveis manu exploratis manifeſtus percipiebatur infarctus cum inſigni duritie, inflammabanturqve cum febre; ſed reſolutione tamen curati ſunt: ægra vero ex illo tempore copioſa laborat leucorrhœa.

c) *Sputa*. T. TOMPSONI (*q*) feminæ mucum copioſum expectoranti poſt menſium ſuppreſſionem leucorrhœa ſuperveniens ſputa ſtitit, corpore exſiſtente cachectico. Et „ ego (addit Auctor) plures animadverti caſus, ubi ex alius evacuationis morboſæ ad uteri vaſa metaſtaſi fluor albus eſt obortus „. Et vero

d) *Vomitus* múltoties accidens matronæ nobili viduæ apud R. a FONSECA (*r*), 50 annos natæ, habitu corporis craſſo & molli, otio ac delitiis deditæ, ubi conqvieviſſet, in leucorrhœam eſt mutatus, qvovis menſe freqventer moleſtam, effluente materia mucoſa alba ſublutea cum aliqvo morſu.

e) *Catarrhus*, præſertim cum coryzæ fluxu, citra criſin poſt coctionem, ſolutus. RAULIN (*s*) „ vidit ægras in leucorrhœam

(*q*) Samml. auserl. Abhandl. zum Gebr. pract. Aerzte 3 B. 1 St. p. 31.
(*r*) Conſult. med. T. 1. Conſ. 21. p. m. 150.
(*s*) l. c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 8. p. 329.

„ lapſas, poſtqvam a crebris capitis ac faciei
„ fluxionibus fuerunt percuratæ: aliæ poſt
„ notabilem ſputorum ſeroſorum habitua-
„ lium & copioſorum, qveis a longo tem-
„ pore obnoxiæ fuerant, imminutionem per-
„ inde fluore albo mulctabantur „. Priori caſui plane ſimillimum literis mandavit J. STORCH (*t*). Idem ſubſiſtens coryzæ profluvium cauſat. Narrat hanc in rem S. SCHAARSCHMIDT (*u*) infanti trimulæ (aut ad ſummum qvinqvenni) poſt vehementem coryzam cum totius faciei capitisqve catarrho ſuffumigiis diſcuſſam continuo inſignem obortam fuiſſe leucorrhœam, uno alterove menſe cum narium ſiccitate, anoſmia, ac pruritu (qvem infans digitis aſſiduo nares laceſſens prodebat), affligentem. Idem qvoqve RIEDLINI (*x*) matronæ accidit. Perinde in Actis erud. Lipſ. (*y*) exſtat leucorrhœæ exemplum poſt ſedatam coryzam obſervatæ. Videbimus qvoqve inferius (*z*) coryzam catarrhosqve ſubſiſtenti leucorrhœæ

(*t*) Vide hiſtor. 13.
(*u*) Med. u. chirurg. Nachricht. 2 T. No 51 p. 396.
(*x*) Vide §. 48. d).
(*y*) A. 1709. p. 376.
(*z*) Vide §. 18. e).

ſuccedere. Unde haud immerito fluor albus ab nonnullis *uteri coryza* (*a*), GALENOque (*b*) *uteri rheuma* dictus eſt, qvem G. BALLONIUS (*c*) *catarrhum*, L. a FONTE (*d*) *deſtillationem uteri*, nuncuparunt. Atqve huc forte etiam BURGGRAVII (*e*) mulier eſt referenda.

f) *Tumores glandularum ſubſidentes.* Inſignem hujus rei caſum ad poſteros dedit „ Ill. A. de STÖRCK (*f*): virgo 18 annor. „ (refert ille) mammam utramqve lapidis „ inſtar duram a triennio fere habuit; pallida „ præterea fuit, flaccida, tota cachectica, ne- „ qve unqvam ei menſes adhuc fluxere, cor- „ dis palpitationem conqverebatur, & a pau- „ lo fortiori ingreſſu ſemper anhelavit, & „ fere ſuffocata eſt. Mamma utraqve ſtriis „ lividis erat variegata, advertebaturqve „ perfreqventer dolor acute punctorius, va- „ gus. Glandulæ ſubaxillares & ingvinales „ qvoqve erant tumidæ, induratæ. Dedi

(*a*) Vide §. 1.
(*b*) De ſymptom. cauſ. L. 3. C. 4.
(*c*) Conſ. med. L. 1. Conſ. 56 ſub fin.
(*d*) Conſ. med. 117.
(*e*) Vide §. 45 No 1.
(*f*) De cicuta Lib. 2 Cap. 2 caſ. 16 p 117. ſqq.

„ illico ter qvotidie 3 pilulas gr. ij de ex-
„ tracto Cicutæ, & qvalibet vice feci deſu-
„ per hauriri infuſi meliſſæ & fl. ſambuci vaſ-
„ cula duo. Externe nil applicui. Qvinto
„ die nil adhuc erat mutatum. Exhibui igi-
„ tur ter qvotidie pilulas jv, & idem infu-
„ ſum continuavi. Octavo die ſtriæ lividæ
„ in utraqve mamma diſparuerunt, dolores
„ autem vagi pungentes erant longe fre-
„ qventiores, vires auctæ ſunt. Decimo
„ die jam dabantur 15 pilulæ per diem.
„ Duodecimo die prodiit ex utero materies
„ copioſa alba glutinoſa, & omnes durities
„ tunc molliores videbantur, & reſpiratio
„ fuit levior, nec cordis palpitatio adeo
„ freqvens. Eadem pilularum doſi in vige-
„ ſimum diem continuavi, & erant tunc o-
„ mnia meliora, tumores multo minores,
„ mamma utraqve mobilis & pro parte pen-
„ dula. Color faciei antea ex flavo viridis
„ nunc in ſubroſeum mutabatur; functiones
„ omnes incipiebant reſtaurari. Qvotidie
„ ex utero copioſus mucus prodiit, qvi
„ ſubinde acer fuit, & in vagina ardorem
„ excitavit, ſubinde autem adeo blande ex-
„ ſtillavit, ut ægra nil adverterit. Datæ jam
„ ſunt 18 pilulæ per diem. Trigeſimo die
„ mammæ ambæ jam erant fere naturales,
„ & glandulæ ſubaxillares multo minores;

„ nullum dolorem ægra conqverebatur, „ mens fuit longe hilarior: fluxus autem „ uterinus nec amplius copioſus nec fre- „ qvens fuit. Pilularum doſis non amplius „ aucta eſt, & continuabatur infuſum fl. ſam- „ buci & herbæ meliſſæ. Qvinqvageſimo „ die nil in mammis repertum eſt; ſub axil- „ lis erant adhuc qvædam tubercula piſis „ æqvalia; fluxus muci ex utero penitus „ deſiit; viguit appetitus. Per 3 adhuc „ ſeptimanas dedi mediocrem cicutæ doſin, „ & infuſum rutæ. Comparuit dein citra „ omnem dolorem fluxus menſtruus, prodi- „ itqve ſangvis ſaniſſimus per 5 dies, nec „ advertebatur cordis palpitatio, nec a for- „ tiori ingreſſu reſpiratio inhibita fuit. Un- „ de optima videbatur adeſſe ſanitas: atqve „ ideo nil amplius medicamenti datum fuit „.

g) *Sangvinis vacuationes* conſvetæ vel earum molimina non ſuccedentia: qvo fit, ut metaſtaſis humorum ad vaſa uteri facta leucorrhœam excitet. Ita FÜRSTENAUII (*g*) vetulæ neglecta ſcarificatio conſveta fluorem album proritavit. Sed omnium facillime hæmorrhoides cœcæ morbum hunc efficere valent. Sic apud Auctorem Ob-

(g) Vide §. *66*.

ſervationum clinic. Varſav. (*h*) „innupta fe-
„mina pertinaces potiſſimum alvi obſtructio-
„nes accuſabat. Enematibus juſſis illa re-
„cuſavit; qvia aliunde, ſi alvum exoneret,
„atroces ſemper dolores habeat, ſimulqve
„ſe fluore albo laborare indixit. Re exa-
„minata, leucorrhœam ſyphiliticam non
„eſſe certum erat, ſed valde materia cor-
„roſiva. Juſſit balnea emollientia, poſtea
„ut ſuper fervidæ aqvæ vaporem ſedeat;
„ſed noduli nulli provenerunt, & potius
„his adhibitis dolores inteſtini recti etiam
„extra caſum ſedis aucti fuerant. Intimius
„igitur rectum viſitatum fuit, & altius in-
„terne nodi hæmorrhoidales inveniuntur.
„Ea indicatione proſecuta & recti dolores
„(qvod non mirum), ſed & leucorrhœa,
„ſponte ceſſarunt„. Poſtmodo (*i*) qvo-
qve „referre (inqvit idem Auctor) debeo,
„me iterum in uxore leucorrhœam hæmor-
„rhoidalem, illi, qvam in primo faſciculo
„narravi, omnino ſimilem, reperiſſe, &
„eadem indicatione illam abſtuliſſe, qvæ
„jam per triennium omnes alias indicatio-
„nes fefellerat„.

(*h*) Faſcic. I. p. 39. ſq.
(*i*) Ibidem faſc. II. p. 68.

CAPUT V.

PROXIMA CAUSA.

§. 19.

PROXIMA *Leucorrhœæ cauſa* (de vera leucorrhœa ſermo eſt) haud alia ſit oportet, qvam anaſtomoſis arteriarum in cavum uteri vel vaginæ (vel utrobiqve) hiantium, ex earum laxitate juſto majore proficiſcens, ac ſero plus, qvam oportet, tranſitum præbens, cujus J. B. MORGAGNIUS (*k*) duplicem cauſam principem arbitratur eſſe, nimirum eam uteri aut vaginæ affectionem, ut eorum „ aut intima membrana, non ſecus atqve illa narium in coryza, rheumate qvodam afficiatur (*l*), aut ora vaſculorum poſt emiſſum menſtruum ſangvinem ſe hactenus contrahant, ut ſangvini qvidem exitum, ejus autem ſero non intercludant, qvod ut alio in aliis colore infectum eſt; ita in omnibus non eodem colore fluorem facit „ : qvodqve reſorpta aqvoſiore

(*k*) De ſedib. & cauſ. morbor. Epiſt. 47 No 11.
(*l*) Vide §. 18 e).

parte evaporati ſeri ad inſtar ſpiſſius profluit (*m*).

§. 20.

Fuere, qvi humorem in leucorrhœa non ex ipſo utero, ſed tantummodo e vagina ſcaturire contenderint; qvos inter etiam J. A. WEDELIUS (*n*) plus vaginæ qvam ipſi utero hocce in malo tribuere videtur: forte non aliam ob cauſam, qvam qvod tum in gravidis, qveis uteri concluſi ſunt, fluor hic nihilominus perſæpe obſervetur (*o*), tum qvod etiam ſimilis qvoqve humor in laſcivis ſola genitalium vexatione e vagina eliciatur, &c. Verum enim vero qvi hanc opinionem ſectati ſunt, haud ſatis, qvid veram inter ac nothas leucorrhœas, qvarum ſedes ut plurimum in vagina eſt, interſit, diſcreviſſe videntur. Neqve gravidarum fluor albus, ut ut e vaginæ accidat vaſis, continuo oſtendit, ſedem ſuam propterea in utero eſſe haud poſſe; qvando-

(*m*) l. c. No 13.

(*n*) Diſſ. de fluore albo Reſp. A. M. EILHARD. 4to Jenæ 1743. §. 1. ſqq.

(*o*) Vide §. 15.

qvidem id ipſum reapſe & anatome pervincit, & rite deductum ex obſervatis ratiocinium. Etenim

§. 21.

Anatome cum leucorrhœa defunctarum exhibuit cum uteri in cavo tum ad ejus qvoqve parietes adhærescentem ipſum illum humorem, qvi viventibus e pudendis profluxit, qviqve compreſſa manibus uteri ſubſtantia uberior etiam ex ea prodibat, indicio manifeſto, ipſum ex uteri vaſis ejus in cavum fluxiſſe. Sic S. PINAEUS (*p*) „ſæpius vidimus (inqvit) in diſſectis cadaveribus puellarum ſeu virginum & aliarum mulierum profluvio uteri albo, dum viverent, laborantium, qvæ ob alium aliqvem morbum gravem exſtinctæ fuerant; in utero enim earum humorem limpidiſſimum invenimus, qvi e cavitate ejusdem guttatim ſtillabat per verum collum in ſinum pudoris, in qvo candorem tantum acqvirebat, ut cretam aut calcem diſſolutam in aqva dixiſſes, & ejusdem mixtionis craſſitiem qvoqve, in aliis majorem,

(*p*) De notis virginit. L. 1. problem. 3.

„ in aliis minorem. An vero id fiat (i. e. *an* „ iſta albedo & inſpiſſatio humoris antea te- „ nuis & limpidiſſimi acqviratur) coctione „ aliqva vel aeris externi appulſu, frigidi „ potius ut videtur, aliis judicandum pro- „ ponimus „. Melius profecto MORGAGNIUS (*q*) id ab reſorpta ſenſim aqvoſiore ſeri parte effici judicavit, cui id ipſum phænomenon binis in virginibus detegere licuit, qvarum in una (*r*) circiter 16 annor. leucorrhœam, dum viveret, paſſa „ cum mucum ſecundum naturam ſe habentem uteri oſculo & proximæ cervicis parti abſterſiſſet, comprimendo inferiorem uteri fundum, cervicem, & oſculi uterini coronam, prodire ex his locis omnibus, & ordinate qvidem, vidit albam craſſiuſculam materiam, qvæ unde albus fluor proveniſſet, non obſcure ſignificavit „. In altera (*s*) vero 14 annorum eodem ante obitum morbo afflicta uterum a morte „ cum „ incidiſſet, fundi cavum invenit humida „ materia plenum ex albo in flavum & ſub- „ viridem colorem vergente „. Haud ſe-

(*q*) Vide §. 19.
(*r*) l. c. No 12.
(*s*) Ibidem No 14.

cius

cius etiam s. SCHAARSCHMIDT (*t*) teſtem ſe ejusdem rei nonnullis in ſectionibus cadaverum ab ſe viſæ præbet. Unde liqvet, per anatomen conſtare, leucorrhœæ veræ fontes non in vagina modo, ſed ipſo etiam utero, fuiſſe obſervatos. Atqve ad hæc

§. 22.

Ratiocinium qvoqve rite ex obſervatis inſtitutum evincit, fontes leucorrhœæ veræ non alios eſſe, qvam ipſa illa vaſa, e qvibus menſtruus ſangvis ſcaturit; qvandoqvidem leucorrhœa vera

1mo Emmenagogis interdum procuratur (*u*);

2do Catameniorum fluxum jam præcedit, jam conſeqvitur (*x*); imo qvandoqve

3tio Vices ipſorum catameniorum obit (*y*).

Qvæ proinde ſatis ſuperqve memoratos leucorrhœæ fontes ab omni ambiguitate vin-

(*t*) l. c. 5 Th. No 3. p. 77.

(*u*) Vide §. 12.

(*x*) Vide §. 16.

(*y*) Vide §. 16.

dicant. Haud tamen id ita accipiendum venit, fluoris albi ſcaturiginem in dato corpore v. g. LAIDIS ex iisdem individuis vaſis, e qvibus illi catamenia procedunt, eſſe oportere, ita ut, ſi e vaſis fundi uterini iſta proveniant, ille qvoqve ex iisdem pullulare debeat, nec pro vero habendus ſit, ſi illis ex uteri fundo prodeuntibus ipſe ex ejusdem cervice vel vagina ſcaturiat. Nam cum id ipſum fere ſemper qvidem ita eveniat, poteſt tamen contingere, ut catameniis LAIDI ex uteri fundo exſtillantibus leucorrhœa e vagina erumpat; modo hujus qvoqve vaſa ita natura comparata ſint, ut ad ſyſtema fluxus menſtrui pertineant, id qvod rara nos obſervatione docuit J. HILL (z), nempe A. 1741 mulieri 20mo ætatis anno primum puerperæ obſtetrix placentam magna vi avulſit, ut laceratum qvid ſonus a puerpera perceptus perſvaderet: unde illo in latere perpetua debilitas cum dolore jacenti ægræ ſuperfuit; ubi vero lecto relicto miſera per conclave ambulare occepit, uterus pugni magnitudine e vulva prorupit, qvem vagina ſimul prolapſa inverſaqve burſæ inſtar te-

(z) Medicin. Commentar. von Edinburgh 4 Th. 1 St. 2 Abſchn. No 5. p. 88. ſqq.

gebat. Os uteri ultra cuncta mammillæ forma ad pollicem prominebat. Qveis viſis lectum mox repetens omnia facillime repoſuit, non ante rurſus elapſa, qvam denuo periculum feciſſet ambulandi: tum vero prolapſui mulierum e conſilio faſcias admovit; at incaſſum, nam non modo repetebat ſtanti prolapſus, ſed faſciæ qvoqve excoriationem cauſabant. His proinde abjectis uterus totis diebus propendebat, noctu repoſitus, mane poſtero iterum prolapſurus, illæſa nihilominus ſanitate. Proli 18 menſes lac præbuit, ac non multo poſt ablactationem catamenia more priſtino procedebant, qvæ ſolummodo ex uteri orificio prodire obſervabantur, e vagina ne gutta qvidem; qvandoqve guttatim ac lente, qvandoqve vero ubertim erumpebant; ſemper autem copioſa experiebatur mulier. Aliqvo inde poſt tempore iterum concipiens tota graviditate moleſtias multas perpeſſa eſt, utero interdiu ſemper prolapſo, ac noctu tantum repoſito, qvoad ita demum increvit, ut non amplius prolabi qviret; ſed tum ponderoſæ molis inſtar oſſibus pubis viciniſqve ad 7um uſqve menſem, qvo peperit, incumbebat. Hancce etiam ſobolem, qvæ 4 annis vixit, lactavit, lactationiſqve tempore, ac poſt illam uterus priſtina plane ratione prolabi pergebat, ore uteri

nunc aliqvanto longius etiam deorſum pendente. Paucos intra annos mulier ter adhuc utero geſſit, ſed ſemper 3tio menſe abortiit, idqve ab ira. Poſt qvemvis abortum os uteri mammillam referens aliqvanto plus, qvam ante, deſcendebat. Abortus hos iteratos leucorrhœa 6 vel 7 annorum eſt conſecuta, qvæ, dum catamenia hactenus e ſolo uteri orificio prodirent, ex omni burſa illa a vagina efformata in integrum ſcaturiebat, qvæ tantopere madebat, ut ſemper linteis tectam eſſe oportuerit. Per id tempus vehementi colica prehenſæ uterus a perfrigeratione adeo intumuit, ut reponi non poſſet: idcirco opem petiit. Colica tumoreqve brevi percuratis reliqvum naturæ eſt commiſſum uſqve ad 1761 (forte 1771), qvo poſt vehementem febrim intermittentem ſuperatam menſes (qvod ætatem ageret annum inter 40um & 50um) non amplius reverſi ſunt, prolapſu priſtinum obtinente ſtatum, niſi qvod os uteri concreverit, cuticulaqve fuerit inveſtitum. Leucorrhœa qvoqve deſiit. Uterus propendens nil novi cauſabat incommodi, qvod per 30 jam annos non adfuiſſet; qvam ob rem poſtremis 10 vel 12 annis reponere qvoqve illum neglexit, qvi interdum vel a perfrigeratione vel graviori labore admodum intumeſcebat, alias

vero contrahebatur in rugas inſtar ſcroti rugoſi, cui perqvam ſimilis erat, donec a temporis diuturnitate, qvo aeri expoſitus erat, cutis inſtar, cujus etiam colorem induit, ſiccus evaderet. Ubi reponebatur (qvod facillime ſuccedebat), continuo rurſus elabebatur. Nunqvam ſua magnitudine urethram clauſit. Ægra hodiedum ſana hilarisqve degit, ut paucis de morbo ejus conſtet. Ex iſthac hiſtoria liqvet, leucorrhœam fuiſſe veram, non ſpuriam; qvandoqvidem e vaſis vaginæ ſcaturiebat, & poſt iteratos abortus occepit (*a*), atqve cum catameniis deſiit.

CAPUT VI.

DIAGNOSIS.

§. 23.

DIAGNOSIS *leucorrhœæ veræ* haud exiguis laborat difficultatibus, qvas clinici pleriqve omnes qvotidie experiuntur. Nam ut de iis, qvæ titulo cum ſpecierum tum cau-

(*a*) Vide §. 17.

ſarum J. ASTRUC (*b*) fuſe huc in medium attulit, dicam nihil; qvippe qvæ magna ſui parte & cerebri humani commenta ſint, & ad leucorrhœam cito tuto jucundeqve curandam haud magnopere faciant: illud certe, qvod ad leucorrhœam veram a ſpuriis qvibusvis rite diſcernendam pertinet, & in qvo omnis curationis cardo vertitur, medentem haud raro ambiguum tenet. Non omne id qvidem, qvod veram inter leucorrhœam ac ſingulas ſpurias diſcrimen eſt, ſagaciorem præterit obſervatorem; novit enim ex facili, qvi gonorrhœa benigna (*c*) ab leucorrhœa vera ſit disjungenda; nec eſt neſcius, qvid purulentos inter fluxus uterinos (ut ſunt uteri ex inflammatione ſuppurati, eorumve aut carcinomata aut fungi exulcerati, &c.) ipſamqve ſimplicem leucorrhœam veram interſit. Eapropter in iſtis, qvandoqvidem etiam uberior eorumdem diagnoſis alius eſt loci, moras trahere viſum non eſt. Princeps autem difficultas perveſtiganda ſupereſt, leucorrhœæ veræ a gonorrhœa venerea mulierum rite dignoſcendæ, qvæ duo mala uſqve adeo ſibi ſæpe ſunt affinia, communibusqve

(*b*) l. c. §. 5.
(*c*) Vide §. 2. II. A. No 1.

notis ſe ſe tuentur, ut unum ab altero diſcernere ſubinde vix ſit integrum; id qvod nihilominus non recta modo medendi methodus, verum ipſa etiam ſeqvioris ſexus fama, ne detrimenti qvid capiat, expoſcit. Idcirco

§. 24.

Vera ne an *ſyphilitica* ſit *leucorrhœa*, cum hæc illam interdum mentiatur, vel ſaltem pro illa Medico ab infectis obtrudatur, decretorii utriusqve characteres pro eo, ac par eſt, ſunt pernoſcendi. Præcipuos illorum, qvos Auctores celebriores hanc in rem proferunt, iſthic dabo, qvi etſi complures ſint, haud tamen ſemper tollendæ rei ambiguitati ſufficiunt, in primis vero, ubi gonorrhœa ſyphilitica cum ipſa leucorrhœa vera eſt complicata (*d*). Qvapropter in momentoſa hac diagnoſi penſanda ſunt vel maxime ſeqventia:

§. 25.

1. *Cauſæ* fluoris prægreſſæ, cum ipſis ejus adjunctis rite collatæ. Si enim ſymptoma-

---

(*d*) ASTRUC l. c.

ta (*e*) ejusmodi ſint, qvæ leucorrhœam verám præ ſe ferant, eiqve excitandæ idoneæ ſimul præceſſere cauſæ, nec qvidqvam adſit, qvod ſuſpicionem ſyphilitidis præbeat, res plana erit. Sin vero fluxus ipſe ſuſpectus ſit, & ægra contagii venerei cauſſas fateatur fuiſſe admiſſas, fluor aut ex toto venereus erit, aut certe leucorrhœæ complicatus, ubi reliqva etiam ſigna dicenda congruerint. Verum cum ægræ admiſſas contagii cauſas perſæpe alte tacere, imo pernegare etiam, norint; alia erunt Medico prudenti circumſpicienda, nempe

§. 26.

2. *Symptomata* ſyphilitica, ut inflammatio vaginæ fluorem prægreſſa; nam gonorrhœa ſyphilitica, ut recte notat J. ASTRUC (*f*), dum recens eſt, inflammationem vel vulvæ vel vaginæ comitem habet, qvæ ab leucorrhœa vera ſimplici prorſus abeſt. Qvod ſi vero inflammatio hæc ob morbum jam diuturniorem haud amplius adſit, videndum, num aliud qvid e proſapia ſyphilitica leucorrhœam comi-

(*e*) Vide §. 4. & 5.
(*f*) l. c.

tetur, ut tophi, dolores oſteocopi nocturni, bubones, effloreſcentiæ, &c. qvæ contagium venereum arguant, velut in muliere STORCHII (g). Sed etiam hæc ſæpenumero abſunt, præprimis ubi gonorrhœa hujusmodi ab reliqviis tantum venereæ luis excitatur, ut ſæpe accidit, ac tum prægreſſa varia ſyphilitica mala ægrotæ ſummo ſtudio tacent, negantqve. Hoc proinde in caſu examinare oportet

§. 27.

3. *Qvalitates materiæ* profluentis, nempe colorem, odorem, acrimoniam, &c. horumqve effectus in corpus ægræ, præſertim dolorem ardoremqve genitalium, qvem lotii ſub mictione tranſitus auget in gonorrhœa, cujus materiæ eſt ſimul color teſte SWIETENIO (h) vel mox initio vel cito poſt pravus „qvi initio albicat, qvandoqve „in flavum & viridem tranſit ſatis cito, „eroſisqve vaſis effluit tabus ſangvinolen„tus „. Fœtor qvoqve gonorrhœæ proprius detegitur, & acrimoniam cito humor

(g) Vide §. 32.
(h) Commentar. ad H. BOERH §. 1447.

profluens aſſumit cum celeri qvoqve ejusdem incremento. Omnia autem vera in leucorrhœa ſecus eveniunt ; nam color mali principio diu albidus perſtat, anteqvam flaveſcat ac demum varideſcat. Porro leucorrhœa recens caret pure, fœtore, acrimonia, ac proinde etiam genitalium dolore, nec de alio fere dolore qveruntur ægræ, niſi qvi lumbos tenet, & qvi ipſe a gonorrhœa abeſt (*i*). His ergo mali utriuſqve principia ſic ſatis ab ſe diſſident. At ubi uterqve fluxus provectior evaſit, vix ullum inter utrumqve diſcrimen reperitur ; nam leucorrhœa vera initio alba, blanda, indolens, ita diuturnitate demum, ut dicetur (*k*), materiam mutat, ut & colore, fœtore, & acrimonia veneream illam non exæqvet modo, ſed & ſuperet interdum. Verum qvidem eſt, ægras de principio fluxus, qvalis tum fuerit, percontandas eſſe, indeqve diſcrimen eruendum; ſed, ut recte advertit ASTRUC (*l*), „ ægras qvandoqve levioris coloris ergo „ ſyphilis latet, interdum ea ſymptomata, „ qvamvis vehementiora, inſcitiæ ergo anim

(*i*) ASTRUC l. c.
(*k*) Vide §. 35 A g).
(*l*) l. c.

„ advertere neſciunt, vel ipſa parvi faciunt, „ ut ſæpiſſime ſub ſilentio prætereant, qvæ „ in diem eveniunt, aut accidere obſer- „ vent, ne fluxus mutationibus detectis „ proprii errores detegantur. In iis caſi- „ bus ne in maxima verſemur incertitudi- „ ne, in qvam ignorantia aut fraus illarum „ nos impellerent „ ad alia qvoqve indicia reſpiciamus, oportet, ſpectandaqve tum etiam ſvadetur

§. 28.

4. *Ubertas profluvii*; nam cum leucorrhœæ veræ, SWIETENIO (*m*) obſervante, initium leve ſit per menſes, imo annos, lentusqve ejus progreſſus & incrementum, duratio qvoqve longa, anteqvam acrimonia accedat; in vetuſto autem fluxu copia profluvii multo ſit major, qvam in gonorrhœa venerea; in iſta omnia contrario procedunt ordine, nempe initium ejus eſt ſubitum, incrementum citum & continuum, nunqvam tamen ubertate ſua, aut raro admodum, leucorrhœam vetuſtam exæqvat, niſi forte eidem ſit complicata. Sed

(*m*) l. c.

indicium ex ubertate profluvii petitum perqvam eſſe ambiguum haud pauci obſervant; qvandoqvidem humoris profuſi copia utrinqve variat. „ Nam albi fluores interdum „ erumpunt, qvi ſyphilide parum uberi„ ores ſunt „ teſte ASTRUC (*n*): & in gonorrhœa venerea e vaginæ glandulis affectis tantum ſæpe adeſſe profluvium s. SCHAARSCHMIDT (*o*) ait, qvantum in vehementiſſima leucorrhœa benigna obſervatur. Sic. L. G. KLEIN (*p*) „ meminit „ venereum chronicum fluorem ſic largum, „ ut lectos penetrarit altius ſubterpoſitos „ illuvies emanans „. Qvod tanto etiam evenit certius, ubi gonorrhœa leucorrhœæ eſt complicata. Hujusmodi vero in caſu

§. 29.

5. *Inſpectio genitalium*, ſvadente ASTRUC (*q*), non eſt negligenda, in qva ſi vulva aut vagina exulcerata eſt, maliqve ſcaturigo in eadem reperitur, gonorrhœam

(*n*) l. c.
(*o*) l. c. p. m. 88. ſq.
(*p*) Interpr. clinic. tit. fluor albus p. 113.
(*q*) l. c.

adeſſe in propatulo eſt. „ Aegras (inqvit „ ille) obſtetricare oportebit, ut triplicem „ ſedem benignæ ſyphilidis, ac proinde „ continentis gonorrhœæ inveſtigemus. 1) „ Proſtatæ ſe oſtendunt, ex qvibus virus „ ſtillat ſupremam verſus vulvæ partem per „ orificia lacunarum GRAAFII ad latera „ urethræ locatæ: 2) Glandulæ vero „ COOWPERIANAE ſe produnt interna „ vulvæ parte ſitæ perinæum verſus aut cir- „ ca oſtium vaginæ, ex qvibus gonorrhœa „ circa anum aut limen vulvæ fluit: 3) „ Glandulæ tandem vaginæ, qvæ virus in „ ipſo vaginæ ductu fundunt per vulvam „ erumpens. In eo duplici caſu ſi ægro- „ tantium inſpectione certiores fieri volu- „ mus ſyphilidem adeſſe, materiam ex la- „ cunis aut glandulis COOWPERI exire „ obſervabimus, deniqve ipſam ſuperius, „ inferius, aut interius vagina cumulari; „ contra vero aſſerere poſſumus fluore albo „ tantum laborare mulieres, qvando ex- „ tremitates eorum canalium minime læſæ „ aut pure fœdatæ apparent „. Sed præ- terqvam qvod hujus inſpectionis non ſemper copia fiat, ſimul etiam ipſo ASTRUC fa- tente „ in poſtremo caſu difficillimum erit „ fluorem album a vaginæ ſyphilide diſtin- „ gvere; cum hæc æqve ac ille a vaginæ

„ fundo proſiliant „. Et numqvid fluorem album e vaginæ vaſis, qvæ alias menſtruum ſangvinem ſtillant, erumpentem a gonorrhœa e glanduloſis vaginæ locis pullulante diſcernes? Et, qvod rei caput eſt, ulcera id genus glandularum vaginæ cum purulenta leucorrhœa ſine ulla prorſus labe venerea præſto eſſe poſſunt, id qvod liqvido evincit exemplum apud RAULIN (*r*) innocuæ puellæ circ. 18 annorum, ſeveræ virtutis, cui adeo pruriebant ardebantqve genitalia, ut nec dormire, nec ambulare, nec qviete ſedere poſſet. Univerſæ glandulæ circum urethram, ſebaceæ, nympharum, vulvæ, labiorum inflatæ erant inflammatæqve, humorem reddentes purulentum, multo etiam uberiorem, ubi aderant excoriationes & ulcera ſuperficialia, qvam albi. Præter ulcera illa numeroſa etiam puncta ulceroſa & admodum ſenſilia ibidem viſebantur. Puella tamen per Væ Ses, balnea, fotus, uſumqve ſimpliciſſimæ ptiſanæ brevi ex intervallo temporis convaluit. Ergo cum & hæc neutiqvam diagnoſin abſolvant, alia porro erunt penſanda, qvorum e numero etiam eſt

---

(*r*) Vide §. 2. II. A. No. 1.

§. 30.

6. *Coitus*, quippe qui gonorrhœa venerea præſente cum feminæ tum viro quoque moleſtus ſit. Etenim teſte J. DOLÆO (*s*), cui & ASTRUC (*t*) aſſentitur, „ gonorrhœa virulenta affectæ coitum haud „ ſuſtinere poſſunt, qvi tamen fluore al- „ bo . . . affectas vix impedit„. Neque id mirum; nam penis virilis rigentis ad ulceroſa vaginæ loca vehementior affrictus non poteſt dolorem non cauſare, qvi in vera leucorrhœa ulcerum vaginæ experte nullus eſt futurus. Porro quod ad viri moleſtiam inde oriundam attinet „ gonorrhœa coitu „ communicatur, inquit J. ASTRUC (*u*), „ fluores vero albi viro innocui ſunt, aut „ leves excoriationes tantum pariunt„: id quod pulchre illuſtrat caſus apud POMME (*x*), videlicet puella perditæ vitæ, 25 annorum, temperamenti ſicci, hyſterica, mature veneri dedita, luem ſyphiliticam contraxit, a qua per litus ☿les tumultuaria methodo,

(*s*) l. c. §. 2. p. 498.

(*t*) l. c.

(*u*) Ibidem.

(*x*) Abhandl. von den hyſter. und hypoch. Nervenkrankheiten oder von den Vapeurs p. 307. ſqq.

exacerbatis ſub curatione hyſtericis turbis, tertium etiam inſtituta, cum liberari non poſſet, quartum ad eandem circumſpectius inſtitutam convaluiſſe viſa eſt, matrimonio ineundo habilis etiam judicata, nihil obſtante (ut videbatur) trienni leucorrhœa, ut quam nemo medentium ſuſpectam habuerit. Sed nuptui data 6to die gonorrhœam virulentam viro attulit, ut proinde & ipſe antivenerea methodo, & illa quoque jam qvintum tractanda fuerit. Vir cum vulgata medendi ratione brevi convaluiſſet, illa nonniſi poſt præmiſſa 30 balnea, qvotidie ad 4 horas uſurpata, potumqve juris pullorum, litus ☿les denuo experta, balneaqve diebus a litu vacuis continuans, lente tandem, at ex integro, convaluit. Sed hæc ut ut ſæpenumero ita ſe habeant, haud raro tamen certitudinem diagnoſeos morantur. Quod enim dolorem affectæ in coitu concernit, iſte pro magnitudine exulcerationis varia itidem varius eſſe poteſt, qvi ſi exiguus eſt, facile celari a cautiore ægrota poteſt. Quid ſi locus ulceratus paulo altius ſitus ſit, quam ut a pene irritari queat? Porro vagina & vulva in ipſa etiam leucorrhœa vera, ubi temporis diuturnitate humor ejus cauſticus evaſit, excoriatur, ulceraturque: proinde etiam tum dolor in coitu percipietur. Sed

vir

vir ſaltem, dicet qvis nihil inde contagii, præter levem forte excoriationem patietur? At quid ſi mulieris malum a viro prius hac labe fœdato eſt profectum, isque illud ſtudioſe celare pergat? Id ipſum ſane in caſu SCHAARSCHMIDTII (y) accidit, nullatenus niſi extorta demum a viro confeſſione detegendum. Sed quid, inqvies, his omnibus ambagibus opus eſt; qvandoqvidem pathognomicum ſuppetit indicium leucorrhœam veram a gonorrhœa, imo ſpurio qvocunqve profluvio muliebri diſcernendi? Qvod illud? videlicet

§. 31.

7. *Typus* utriusqve hujus profluvii diverſus natura, ac nunqvam fallens, de qvo ita G. BAGLIVUS (z): „ fluor albus „ uterinus & gonorrhœa Gallica adeo ſimilibus comitantur ſymptomatis, ut qvisqvis „ Medicorum fere ſemper decipiatur in illorum diagnoſi, præſertim cum mulierculæ

(y) Vide §. 33.
(z) Prax. med. L. 2. C. 8. §. 3.

„ verecundia perfuſæ gonorrhœam per im-
„ purum ſcortum contractam fluoribus ute-
„ rinis mentiantur. Ne ſuccedant impoſte-
„ rum hæc incommoda, dabo ſignum infal-
„ libile tales morbos ad invicem diſtingven-
„ di. Pete a muliere, an ſuperveniente
„ menſtruo ſangvinis fluxu perſeveret quo-
„ qve eodem tempore fluor ille albæ mate-
„ riæ? ſi dicat, quod ſic, ſignificato eidem,
„ qvod morbus, a qvo divexatur, ſit go-
„ norrhœa Gallica: ſi vero durante men-
„ ſtruatione fluor albus evaneſcat, & ea-
„ dem finita denuo regrediatur; pro certo
„ habeas, mulierem fluore albo uterino
„ laborare. Cetera ſigna fallunt, hoc ve-
„ ro conſtans eſt, & mulierum dolum aper-
„ te eludit„. Multum ſane rationis huic ſigno ineſt, cui propterea & v. RIEDLINUS (*a*) applauſit, & multi alii, qvos ASTRUC (*b*) in medium adducit, ſunt confiſi. Cum enim fluor albus ex ipſis iis ſcaturiat vaſis, qvæ ſanguinem menſtruum profundunt (*c*), ita ut iſte majorem, mi-

(*a*) Curar. medic. millenar. No. 431.
(*b*) l. c. nota (a).
(*c*) Vide §. 2. I. No. 1

norem contra ille eorumdem anaſtomoſin (*d*) exigat: ſatis liqvet, fluentibus catameniis leucorrhœam evaneſcere debere poſtliminio reverſuram, ubi illa ſubſtiterint. Syphilitica vero ſanies cum ex ulceroſis pudendorum glandulis proveniat, nil obſtabit; qvo minus ejus fluxus cum catameniis pergat. Interea cum indicium hoc in ſe longe ſit veriſſimum, tamen in praxi medentem facile eludere, eiqve imponore poteſt, & „ BAGLIVI pace, qvi hanc ſententiam ſtre-
„ nue defendit; nullum eſt, inqvit A-
„ STRUC (*e*), eo magis erroneum ſignum;
„ nam 1) albi fluoris eruptio necdum deſi-
„ ſtit catameniis fluentibus, etiam ſi nos
„ lateat cruoris ergo, qvo permiſcetur; 2)
„ idem accidere ſolet in ſyphilide, qvæ
„ ex glandulis intimioribus vaginæ prodit;
„ ut ex ſangvinis admixtione impoſſibile
„ ſit hoc inutile ſignum diſtingvere. 3)
„ Addo tandem fruſtraneum eſſe & incer-
„ tum in ea gonorrhœa, qvam glandulæ
„ COOWPERIANAE aut proſtatæ faciunt;
„ nam menſtrua tunc totum cruore vulvæ

(*d*) Vide §. 19. 21. ſq.

(*e*) l. c.

„ ambitum inficiunt, ut fluxum laticis illius „ conſpici impediant „. Profecto qveis fluxus gonorrhœæ parcior, profuſior autem catameniorum, eſt, ab hoc illum ita obſcurari debere, qvaſi illo tempore non adeſſet, in confeſſo eſt, et SCHAARSCHMIDTII (*f*) ac STORCHII (*g*) caſus id evincunt. Porro id verum ſit etiam, decolores menſes facile in leucorrhœa vera pro gonorrhœa ſyphilitica haberi poſſe; qvis enim detexerit, in uterone jam vel in vagina primum id genus ſordes ſangvini fuerint admiſtæ? Denique demus cum ſanguine menſtruo album qvoqve profluvium pergere, num iſtud continuo pro gonorrhœa habendum? Haud qvamqvam! Cur enim pus ex abſceſſu ovarii per tubam in uterum delatum non poſſit cum ſangvine menſtruo ſimul e pudendis prodire (*h*)? Qvod idem valet de uteris ipſis ubi ubi alibi ulceratis, ad qvos pertinere videntur verba G. BALLONII (*) ſcribentis: „ narrat FER-

(*f*) Vide §. 33.
(*g*) Vide §. 32.
(*h*) Vide §. 2. II. B.
(*) Paradigmate 160.

„ NELIUS fluorem muliebrem a gonor-
„ rhœa virulenta diſtingvi, qvod hæc
„ fluat menſibus etiamnum erumpentibus;
„ fluor autem muliebris ceſſet fluentibus
„ menſibus: nos contra in miſella muli-
„ ere utrumqve ſimul fluere obſervavimus;
„ & ſanioſa excretio per fluorem muli-
„ ebrem adeo fœda erat, ut nullus eſſet
„ ferendo „. Atqve hinc colligitur, qvam parum pathognomicum ſit indicium BAGLIVIANUM. In tanta ergo incertitudine ſignorum diagnoſticorum ſi nihil uſpiam noſtris votis fecerit ſatis, nihil jam reliqvum erit, qvam ut poſtremo omnium experiamur

§. 32.

8. *Juvantia* ac *nocentia*, atqve a poſteriori, ut ajunt, diagnoſin, qvoad ejus fieri poſſit, obtinere ſatagamus Eapropter ſi fluor albus ad omnia qvæqve rebellis antivenereis tandem remediis, ac vel maxime mercurialibus, expugnari ſe ſe patiatur, ſucceſſus hic ſuſpicionem gonorrhœæ ex hactenus allatis indiciis conceptam efficiet probabiliorem. Sic ubi apud J. STORCHI-

UM (*i*) mulieri 40 annor. per aliqvot menſes leucorrhœam cum catameniis alternantem paſſæ tam acrem, ut eam excoriarit, duo qvoqve ulcera ad muliebria, & in ingvinibus tubercula orta eſſent, aliis non juvantibus, ☿li ſalivatione adhibita ſanitas rediit. Qvod ſi vero antivenerea hac methodo multum qvidem emendatus, at non prorſus expugnatus, fuerit morbus, ſignum eſſe ait ASTRUC (*k*), leucorrhœam veram cum gonorrhœa ſyphilitica fuiſſe complicatam, ita ut, iſthac antivenereis ſublata, illa perſtet porro. Verum non deſunt etiam, qvæ contra poſtremum qvoqve hoc diagnoſticum ſignum, licet a poſteriori petitum, pugnare videantur, nempe poſſe fluorem album eſſe venereum, qvin ſe ſe antivenereis remediis profligari ex facili ſinat, velut in POMMEI (*l*) ſyphilitica accidit, & poſſe ipſam leucorrhœam veram iiſdem remediis abigi, qvin qvidqvam labis venereæ eidem ſit adſperſum. Etenim

---

(*i*) Obſ. clinic. ann. 1. Januar. claſſ. 3. No. 7. p. 10.

(*k*) l. c.

(*l*) Vide §. 30.

ſi A. PITCARNIO (*m*) fidem habeas „ non „ opus eſt (inqvit ille) diſtingvere inter „ fluorem muliebrem Gallicum & non „ Gallicum; cum raro (ſecus ac in viris) „ poſſit fluor albus tolli, etiamſi virulen- „ tus non ſit, niſi remediis lui Gallicæ „ propriis „. Et ex ingenti remediorum hic laudari ſolitorum farragine non alia eſſe pronunciat efficacia, qvam carthartica iterata, ☿lia, Gvajacum, Sarſaparillam, terebinthinam, &c. Sed qvemadmodum verum eſt, ☿lia ceteraqve antiſyphilitica in vera etiam ac ſimplici leucorrhœa haud raro egregie prodeſſe, ut ſuis poſtea locis (*n*) dicetur: ita univerſim longe eſt falſiſſimum, ſolis his antivenereis qvamlibet leucorrhœam profligari poſſe, ut ſingula curationis capita percurrenti uberius deinceps patebit. Suffecerit hic unum duntaxat id genus caſum J. STORCHII (*o*) in medium attuliſſe, qvi ſimul ambiguitatem diagnoſeos a

---

(*m*) Element. medic. L. 2. C. 27.

(*n*) Vide §§. 49. 50.

(*o*) Von Weiberkrankheiten 8 Band caſ. 27. p. 125.

materiæ qvalitate (*p*) petitæ egregie oſtendit, nempe mendicæ 50 annorum, cœlibi, ſanguineo-melancholicæ, menſes, ubi poſtremis annis uberrime fluxiſſent, demum ſubſiſtentes leucorrhœam cauſarunt fere continuam, ac tam acrem, ut præ excoriatione qvandoqve vix ambulare poſſet. Data remedia:

℞. Eſſent roſmarin.
—— millefol.
—— lign. ſaſſafr. aa ʒjß.
TRæ ♂ii ʒj. M. D. mane & a meridie gtt. 30; veſperi autem ſumat e ♁ oſſis ſepiæ ℈ß ſemper ad cultri cuſpidem. Ex horum uſu leucorrhœa brevi prorſus deſiit, nec deinceps revertit. Id unum interea hic tamen certum eſt, ne a poſteriori qvidem petitam hanc diagnoſin eam eſſe, qvæ omnem veram inter ac ſyphiliticam leucorrhœam ambiguitatem ſubmoveret.

§. 33.

Cum itaqve ſingula comparativæ hujus diagnoſeos capita nihil certitudinis adferant, conandum eſt, ut ne ullum eorum in exa-

---

(*p*) Vide §. 27.

mine ægrarum prætereatur; qvod enim ſingula ſeorſim non promittunt, id omnia, aut plurima eorum ſaltem, ſimul ſumpta majori cum probabilitate determinabunt. Qvam parum autem ſingulis ſeorſim diagnoſticis illis characteribus probabilitatis inſit, documentum dabit ſeqvens s. SCHAARSCHMIDTII (*q*) luculentus gonorrhœæ venereæ caſus, in qva plura aderant phænomena leucorrhœæ veræ qvam ſyphiliticæ propria. Nempe matronæ 32 annor. teneræ, ſangvineæ, poſt crebras in infantia narium hæmorrhagias ſemper abhinc ſanæ hilariqve qvinto decimo ætatis anno prima catamenia citra ullam moleſtiam erupere, ordinateqve poſtea ſub mobili hilariqve vita fluxere. Nono decimo vitæ anno nuptui data intra 6 annos 3 proles ſanas forteſqve eſt enixa. Anno 27mo alterum nubens paucis poſt hebdomadis leucorrhœam ſenſit, in qvinqve annos durantem cum ſterilitate. Profluvium initio leve, indolens, & ſine ullo ſymptomate, fuit (*r*), nec niſi catamenia diebus

(*q*) l. c. p. 90. ſqq.
(*r*) Poterat ergo crebriori veneris uſui imputari. Confer §. 14. 26. 28.

aliqvot cum præceſſit, tum ſubſecutum eſt (*s*): idcirco toto anno neglectum. Sed ubi largius, licet abſqve ægritudine, manare cœpit, qvod ſterilitatis cauſa eſſe videretur, ægra opem qvæſivit. Itaqve detractus e brachio ſangvis, data ſangvinem depurantia, balnea bis per hebdomadem imperata, & proximo ante menſes inſtantes, qvi ubertim ſemper fluebant, ſextiduo bis qvotidie datus ♁ temperans albus, & veſperi 15 pilulæ STAHLII. Verum cum per qvadrimeſtre ſub limitata diæta morbus ab his non ſuperaretur, ægra medicationis pertæſa menſes aliqvot remediis abſtinuit. Sed aucto admodum fluxu cum virium corporiſqve extenuatione varia rurſus, at incaſſum, uſurpavit. Fluxus continuus erat, niſi qvod fluentibus catameniis evaneſcere viſus, ubi illa deſiere, denuo apparuerit (*t*); materia muco ſimillima nec acris erat, nec excorians (*u*), niſi interdum, ubi flaveſcens magis dolentem creabat pruritum cum levi excoriatione (*x*), id qvod tamen ca-

(*s*) Confer. §. 16. 31.
(*t*) En fallens BAGLIVI criterion (§. 31.)!
(*u*) Confer. §. 27.
(*x*) Confer. §. 4. No. 2, d).

thartico ita ſemper ceſſit, ut ſimul uno alterove die profluvium parcius fuerit. Aderat præterea anorexia, a paſtu ſtomachi pondus, aliaqve dyſpepſiæ incommoda. Data igitur uterina mundantia balſamica, & aliqvo poſt tempore impendebatur opera ad lenem ſudorem, ad qvem ægra, ob horripilationes pene continuas hactenus, nulla ratione inclinabat, qvovis mane proliciendum, ut ſic averſis ab utero humoribus iſte interea priſtinum recuperaret robur, datis nimirum ter qvotidie hunc in finem MRæ ex eſſent. menthæ, roſmarini, ac TRæ Catechu æqvis partibus conflatæ gtt. 50, & veſperi ♁e e corall. r. ppt. nitri pur. aa gr. viij, ♁ii diaph. ♂lis & croci ♂ ♁ti aa gr. ij. miſtis. Sub ſudore, etſi ægre admodum, tamen poſt 10. 12 ve dies ab hac medicatione apparente leucorrhœa minuebatur, donec demum pene ex toto deſiit. Menſes ordinatiſſime fluxere. Nihilo tamen ſecius ægra nec viribus nec habitu corporis proficiebat; acceſſit multo potius crurum gravitas, & inter ſcapulas ſuſpectum erupit exanthema cum rheumatico capitis artuumqve dolore in noctem præſertim ingraveſcente. Suborta hinc venereæ luis ſuſpicione, qvamvis matrona ejus ſibi haud eſſet

conſcia (y), datum qvovis mane ſaturatum decoctum lignorum, poſt qvod balneum qvotidie ingreſſa eſt, ab eoqve in lecto ſudabat; veſperi dabatur ♁is e lap. 69. milleped. aa gr. viij. ☿ dulc. gr. ij, & 4to qvoqve die hujus in locum 15 pilulæ balſamicæ: potui ſerviebat ptiſana e rad. ſaponar. & liqvirit. affatim haurienda; in cibum vero præter jus tenue ac bis coctum panem aſſa caro maximam partem conceſſa. Sub horum uſu marito ei interdictum. Mox per principia hujus curationis exanthema venereum in fronte dorſoqve emicuit, ac 3 hebdomadum ſpatio ſub eadem cum iſtud tum cetera qvoqve ſymptomata ſunt profligata, viribus corporiſqve habitu inſigniter recuperatis (z). Verum poſt 4 fere menſes rediit leucorrhœa, materia nunc admodum acri profluente; cujus tandem genuina cauſa eſt detecta, nimirum maritus anno ante nuptias malignam ac diuturnam gonorrhœam eſt perpeſſus, qvæ etſi ante eaſdem prorſus curata videbatur, ab illo tamen tempore homo ſemper ex intervallis ſtillicidium qvoddam materiæ jam albæ jam flaveſcentis ex

(y) Confer. §. 26.
(z) Confer. §. 32.

urethra experiebatur, qvod tamen ob parcitatem flocci fecit. Porro nonnunqvam, præſertim ubi a generoſo potu incaluiſſet, ingvinum glandulas aliqvatenus tumeſcere ſentiebat, cum moleſta qvadam in faucibus, qvarum uvula ac tonſillæ rubræ mucoqve obſitæ deglutitionem tardabant, ſenſatione, doloreſqve vel capitis vel crurum acerbos, maxime noctu, qverebatur. Qvæ tamen ſymptomata nunqvam fuere diuturna, & vel ſponte vel uſui carthartici aut diaphoretici cedebant. Cetera nec appetentia, nec vires, nec valetudo alioqvin qvidqvam patiebantur. His cognitis ubi cum vir tum uxor prius memoratis remediis (decocto, balneis, ac ☿io dulci) 4 hebdomades rite vacaſſent, leucorrhœa plane deſiit, ac matrona anno poſt filium eſt enixa.

CAPUT VII.

PROGNOSIS.

§. 34.

1. *Diuturna* plerumqve eſt leucorrhœa, & ſæpe ad optima qvæqve remedia *contumax*, qvalis puellam FERNELII (*a*), anum FORESTI (*b*), ceterasqve BERTRAMI (*c*), LANZONI (*d*), POLZERI (*e*), RIVERII (*f*), STÖRCKII (*g*), ac Vratislavienſium (*h*) ægras afflixit: qvæ eo etiam eſſe conſvevit pertinacior, qvo magis in vetuſtatem incidit. Variæ durationis exempla in hiſtoriis medicis videre eſt: complures menſes durantem leucorrhœam referunt BLASIUS (*i*), COCKSEN (*k*), HOFFMANNUS (*l*), IACOZ (*m*), JUCH (*n*), NES-

(*a*) Vide §. 6.
(*b*) Vide §. 35 A. b).
(*c*) Vide §. 58 No 2. e).
(*d*) Vide §. 38. e).
(*e*) Vide §. 55. a).
(*f*) Vide §. 44.
(*g*) Vide §. 48 c) & §. 55 a).
(*h*) Vide §. 62 a).
(*i*) Vide §. 35. B. c).
(*k*) Vide §. 71.
(*l*) Vide §. 70.
(*m*) Vide §. 44.
(*n*) Vide hiſtor. 7.

TERUS (*o*), RÜCKERUS (*p*), ac SCHAARSCHMIDT (*q*); ultra annum detinuit feminam GRÜLINGII (*r*); STÖRCKIUS (*s*) cum NIZETO (*t*) biennium excedentis meminit; triennio moleſta fuit conjugi Medici Varſavienſis (*u*), & ultra hoc duravit in JENSENII (*x*) vidua, & SCHENKBECHERI (*y*) ægra, qvadriennem porro ſuſtinuit ALIXII (*z*) femina, ſexennem femina QVARINI (*a*), ſeptennem BURTONI (*b*) matrona, & STÖRCKII (*c*) femina, novennem textoris uxor apud MURALTIUM (*d*); ultra decennium protractam curavit STÖRCK (*e*), 11 annos uxor figuli apud FORESTUM (*f*) cum eadem eſt conflictata, 13 annis GEHEMÆ (*g*) matronam, 3 integris luſtris feminam STÖRCKII (*h*) vexavit, imo vicenis amplius annis durantis

(*o*) Vide §. 61. a).
(*p*) Vide §. 6.
(*q*) Vide §. 18. d).
(*r*) Vide §. 74.
(*s*) Vide §. 55. d).
(*t*) Vide §. 71.
(*u*) Vide §. 18. g).
(*x*) Vide §. 37.
(*y*) Vide §. 55. d).
(*z*) Vide §. 58 No. 2. e).
(*a*) Vide §. 55. a).
(*b*) Vide §. 35 B. d).
(*c*) Vide hiſtor. 10.
(*d*) Vide §. 35 A. d).
(*e*) Vide §. 55. a).
(*f*) Vide §. 38. g).
(*g*) Vide §. 70.
(*h*) Vide §. 55. a).

BOETTICHER (*i*), & ROST (*k*) hiſtorias dedere. Complurium qvoqve annorum fuit, qvam perpeſſæ ſunt ægræ ALBRECHTI (*l*), HEISTERI (*m*), KRAPFII (*n*), NEUHOLDI (*o*), RIEDLINI (*p*), SCHAARSCHMIDTII (*q*) SCHAEFFERIqve (*r*). Cauſas hujus diuturnitatis in tria potiſſimum rejicit F. HOFFMANNUS (*s*), nempe in Medicos morbi cauſam in ſolo humorum vitio, non item in uteri atonia, difficulter admodum emendanda, qværentes, in prætervisam ab iisdem digeſtionem læſam, ac deniqve in ipſas ægras, qvod initia morbi negligant, nec poſtea etiam legitimæ diætæ ſint patientes.

§. 35.

2. *Efficit* leucorrhœa mala varia, qvæ profluvii qva ubertati qva acrimoniæ debentur. Enim vero

(*i*) Vide §. 35 B. d).
(*k*) Vide §. 37.
(*l*) Vide §. 35. B. g).
(*m*) Vide §. 50.
(*n*) Vide §. 55 a).
(*o*) Vide §. 35. A. f).
(*p*) Vide §. 57. No 2.
(*q*) Vide §. 37.
(*r*) Vide §. 69.
(*s*) l. c. curat. §. 13

A.

A. *Ubertas* genitalia macerans, humorumqve ſimul reqviſitam ad circulationis integritatem copiam inſigniter minuens, poſt ſe trahit

a) *Vulvæ vaginæqve amplitudinem* cum nimia lubricitate, viroſoqve fœtore; propter qvæ, ut recte P. FORESTUS (*t*) notat, uxor a viro faſtiditur.

b) *Uteri, vaginæ prolapſum.* „Qvi„busdam etiam uterus ipſe, inqvit AETI„US (*u*), procidit, ut uſqve ad muliebre „pudendum progrediatur„ ut vetulæ cuidam „Delphenſi longo tempore albo fluxu labo„ranti„, accidiſſe P. FORESTUS (*x*) refert. Sic etiam B. SILVATICI (*y*) matronæ 18 annos continua fere, nec menſes tamen nec conceptum impediente leucorrhœa laboranti, & a biennio jam bilioſas in vulvæ labiis puſtulas perpeſſæ; poſt bimeſtrem ad latera oſſis ſacri primum, mox inde ad lævam coxam toleratum dolorem, uterus derepente prolapſus eſt ad labia vulvæ, cum pondere in pube, conatu ac difficultate me-

(*t*) Obſ. & cur. med. L. 28. Schol. ad Obſ. 23.

(*u*) Tetrab. 4. Serm. 4. Cap. 65.

(*x*) l. c. ſchol. ad Obſ. 20.

(*y*) l. c. Cent. 4. No 19.

jendi, alvumqve reddendi, atqve dolore illo coxæ lævæ, noctu præſertim ac jejuno ſtomacho invaleſcente, freqventiqve intra vulvam lancinante morſu, vigiliis, & calido halitu ex utero erumpente. Similis etiam uterini prolapſus incompleti ab leucorrhœa caſum videre eſt apud P. J. BUCHOTZ (z). Graviorem hujus commatis caſum H. A. SCHAEFFER, ut apud J. F. HENCKELIUM (a) videre eſt, obſervavit. Graviſſimus vero eſt, qvem P. A. BOEHMERUS (b) deſcripſerat, nempe: „virgo cachectica 30 „annorum per plures annos laboravit fluore „albo benigno, ſuccedente ipſi prius pro- „lapſu uteri incompleto, poſtea vero com- „pleto facto. Dedecus ſibi metuit a chirur- „gorum auxilio, forſan ex verecundia... „Hinc nulla alia a Medicis ſibi expetiit me- „dicamenta, qvam evacuantia, purifican- „tia, & qvæ ſpecificam habere dicuntur „virtutem in fluore albo. Contigit vero „cauſa mali minus cognita infelix curatio,

(z) Neuſte Heilkunde 8 Haupſt. No 1. p. 147. ſqq.

(a) Vide §. 69.

(b) Diſſ. de prolapſu & inverſione uteri, ejusqve vaginæ relaxatione Reſp. F. B. WACHTER 4to Halæ 1745. Præfam. p. 4. ſq.

„ & triſtis rei eventus. Sectione poſt mortem inſtituta partes fere omnes ſanas, præter inflammationem uteri ejusqve prolapſum completum, invenimus. Magnitudo hujus prolapſus extra genitalia erat inſtar capitis fœtus, pars ſuperior ejus admodum conſtricta, inferior in circulum majorem expanſa & valde rugoſa, orificium uteri ita anguſtum, ut vix ac ne vix qvidem acu in cavitatem uteri penetrare potuerimus. Ligamenta non disrupta ſed relaxata nimis, pelvis ampla & rotunda, veſica urinaria lotio, & inteſtinum rectum ſcybalis induratis, repleta, partesqve omnes inferiores inflammatæ obſervabantur „.

c) *Abortiendi proclivitatem.* Pulchre hac de re pro more ſuo Ill. STÖRCK (*c*): „ feminæ (inqvit), ſi non integre curentur a fluore albo, anteqvam nubant, admodum proclives ſunt ad abortiendum. Et 2do 3tio ve graviditatis menſe ſentiunt materiem ex utero prodire, qvæ loturæ carnis ſimilis eſt; paulo poſt prodit ſangvis craſſior, dein excernuntur grumi, tandem poſt multos dolores & teneſmos ſeqvitur

(c) Ann. med. 2. p. 214. ſq.

„ abortus. Si tunc acre in uteri vaſis ſta-
„ gnans aptis medicamentis aut balneis non
„ tollitur, & ſi femina iterum concipit, ma-
„ net eadem abortiendi diſpoſitio: motus
„ violentior, ira, & nimia corporis agitatio,
„ plerumqve cauſæ ſunt abortum excitantes.
„ Poteſt tamen fœtus & in ſimilibus caſibus
„ qvandoqve ad maturitatem deduci, ſi
„ omnes cauſæ irritantes, qvantum poſſibile
„ eſt, evitentur, ſi alvus ſervetur libera,
„ qvod commode fieri poteſt, ſi omni veſpe-
„ ra ex ♁e (℞. Scammon. ʒß ♁ antiſpaſm.
„ Diſpenſ. Vienn. ʒij Magn. nitr. ℥ß M. f.
„ ♁) ʒß vel j in leni emulſo aſſumatur; &
„ ſi nimia uteri irritatio advertitur, ſi oriun-
„ tur ſpaſmi aut teneſmi, tunc illico pare-
„ goricis, opiatis, & qvandoqve leniter ad-
„ ſtringentibus ſuccurrendum eſt. Tales au-
„ tem feminæ pariunt plerumqve infantes
„ craſſos, pingves, robuſtos, & hi tales
„ manent per plures menſes; poſtea vero
„ emaciantur, laſſi fiunt, & membra pen-
„ dula gerunt: tandem ſubſeqvitur peſſima
„ rachitis, qvæ raro hucuſqve ſanari
„ potuit„. Perinde ad abortus pronas LEN-
TIN (*d*) obſervavit, qvæ ex lactatione ne-

(*d*) Vide §. 18. b).

glecta leucorrhœam contraxerunt. Neqve aliud evenit „ matronæ, (cui) ab utero continuo humiditates effluebant, ita ut hanc „ ob cauſam ſterilis permaneret, & ſi conciperet, ad felicem partum non veniret„ narrante P. FORESTO (*e*). Haud ſecius RAULINI (*f*) mulier 26 annor. menſtrua extra graviditatem ordinata habens, ob copioſam, qva laboravit, leucorrhœam qvater ex ordine abortiit; ſed illa curata qvintum impregnata feliciter juſto tempore robuſtam enixa eſt puellam. Id ipſum etiam matrona qvædam apud B. SILVATICUM (*g*) experiebatur. Cum autem abortus gravidarum haud raro periculoſi ſint, ideo etiam teſte RAULIN (*h*) „ leucorrhœæ gravidis præſertim periculum intentant, ubi jam prius „ invaluere, qvo in ſtatu non modo non „ ſemper ceſſant, verum ſæpe inde augeſcunt etiam uſqve adeo, ut non raro perire matrem cum fœtu ab iis viderit „. Qvod ſeqvens ejus comprobat caſus (*i*):

(*e*) l. c. Obſ. 20.
(*f*) l. c. T. 2 P. 3. S. 1. C. 3. p. 35.
(*g*) l. c. Cent. 4. No 57. p. 342.
(*h*) l. c. P. 1. S. I. C. 1. p. 8.
(*i*) l. c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 7. p. 322.

femina 30 annor. tenera, curas egeſtatemqve experta, leucorrhœamqve plurium annorum ſat uberem poſt noviſſimum partum multo etiam uberiorem paſſa, atqve in 3um menſem gravida, emaciata, valetudinaria, febriculam lentam tolerans, cum morbus in dies creſceret, ac leucorrhœa cum intolerando fœtore uberrime procederet, 6to menſe abortiit, & 8vo poſt die vivere deſiit. Sunt tamen, qvæ legitimo tempore vitales ſanosqve edunt fœtus, ut SCHAEFFERI (*k*) ægra. Perinde B. SILVATICI (*l*) matronæ 20 annor. a biennio fere materia albicans e muliebribus continenter fere prodiens non impediebat, qvin rite pareret. Alia (*m*) Comes 32 annorum poſt varia valetudinis incommoda in leucorrhœam 19 annorum lapſa, effluente materia copioſa, ſubviridi, fœtida, cum anxietate, ſyncope, palpitatione, jectigatione, dyſpnœa, ſpaſmoqve, nihilominus peperit juſto tempore. Qvemadmodum etiam (*n*) hyſterica alia matrona leucorrhœa 4 annorum laborans eodem „ ta-

(*k*) Vide §. 69.
(*l*) l. c. Cent. 1. No 7. p. 8.
(*m*) Ibid. Cent 4. No 24 p. 316.
(*n*) Ibid. No 15. p. 307.

„ men tempore concepit, & feliciter par„ tum edidit „. Haud ſecius J. STORCHII (*o*) juvencula leucorrhœam aliqvot annis paſſa, alterum nihilominus gravida, tempore juſto feliciterqve peperit. Meminit etiam puellæ 15 annorum leucorrhœam paſſæ, qvæ nihilominus nuptui data 6 proles enixa eſt (*p*). Narrat caſum pariter J. G. HENTRICH (*q*) feminæ Cizanæ, qvæ ante plenariam pubertatem coitum paſſa, anno 14to nupta, leucorrhœam nacta eſt, ſub qva tamen impregnata „ decenti „ tempore infantem bene factum excluſit, „ qvum tamen per totum geſtationis tem„ pus fluor albus perduraverit „. Ita & V. RIEDLINUS (*r*) „ novit qvamdam, qvæ „ poſt primum ſtatim partum hoc fluore cor„ repta brevi tamen poſt denuo concepit, & „ licet hoc malum tantum non per totum „ geſtationis tempus ſat vehementer inſtite„ rit, filiolum nihilominus ſanum & incolu„ mem enixa eſt; qvin imo, licet poſtea „ nulli remedio omnino ceſſerit dictus fluor,

(*o*) Obſ. clinic. ann. 1. Jan. Cl. 2 No 8. p. 10.
(*p*) Von Weiberkrankheiten 2 Band, caſu 48, p. 209.
(*q*) Diſſ. cit. §. 16.
(*r*) Lin. med. ann. 1. Decembr. 22. p. 449.

„ plures adhuc fœtus cum priori convenientes juſto tempore edidit. Novit aliam, „ qvæ fruſtra in hoc morbo qvam plurima „ in uſum traxerit remedia a variis & „ doctiſſimis præſcripta medicis, & hæc ta- „ men, licet fluore vel maxime inſtante „ gravida facta fuit, & filiolam peperit, de „ qva in hunc uſqve diem haud parum „ gaudet. Qvibus plures adhuc addere poſ- „ ſem (ſubjungit Auctor), ſi opus eſſe cre- „ derem „. Sed ſimilia fieri interdum jam ante e STÖRCKIO vidimus, atqve hujusmodi feminis e vaginæ vaſis tantummodo leucorrhœa ſcaturire forte videtur, ut paulo poſt dicetur. Interea vero cum aliis abortus facile accidant, aliis

d) *Sterilitas* etiam omnem prolis ſpem adimit; etenim teſte HIPPOCRATE (*s*) „ qvæ frigidos & denſos habent uteros, non „ concipiunt, neqve qvæ præhumidos ha- „ bent; ſiqvidem in ipſis genitura exſtingvi- „ tur „. Et alibi (*t*): „ ſi uteri lubrici fue- „ rint... mulier utero non concipit „. Cujus ſententiæ veritati plurimæ obſervationes ſuffragantur. R. a FONSECA (*u*) matronæ

(*s*) Sect. 5. aphor. 62.
(*t*) De iis, qvæ uterum non gerunt. fol. m. 675.
(*u*) l. c. T. 2. Conſult. 52.

Venetæ meminit, qvæ ubi primum fœtum abortiiſſet, per 4 deinde annos ob leucorrhœam ſterilis manſit. Idem plures apud B. SILVATICUM ſunt expertæ, qvarum una (*x*) matrona 35 annor. poſt primum partum cum in crebrum humoris albi, viridis, & lividi fluxum incidiſſet cum menſium imminutione, ignavia ad venerem, & cachecticis ſymptomatibus, ſterilis ſimul eſt effecta. Altera (*y*) Comes ex abortu leucorrhœam 11 annorum nacta eſt, a qva in melancholiam hypochondriacam, palpitationem cordis, ſterilitatem, ac tabeſcentiam incidit. Tertia (*z*) matrona perinde ex 10 annor. leucorrhœa laſſitudinem, febriculam lentam, ac ſterilitatem contraxit. Ita etiam narrante J. MURALTO (*a*) „ textoris S. uxor 23 annorum „ inordinate cibo & potu a longo tempore „ uſa triennium integrum ſterilis in matri„ monio vixit. Inde vero a pubertate 9 „ annis continuis albo fluore tentata eſt. „ Tandem adhibitis medicamentis variis „ concepit. Mox primis menſibus uſqve ad

(*x*) l. c. Cent. 3. No 21. p. 216.
(*y*) Ibid. Cent. 4. No 20. p 311.
(*z*) Ibidem No 29. p. 320.
(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 1. obſ. 111.

„ medium geſtationis terrore, triſtitia, me-
„ tu, & tantum non deſperatione agitata
„ fuit, ita ut ſolitudinem amaret, & in
„ idem objectum defixa cogitatione delira-
„ ret. Præterea uteri inflationes perpeſſa eſt.
„ Demum edidit puerum, qvi cum per menſes
„ 9 ſuperſtes vixiſſet, convulſionibus epi-
„ lepticis nuper correptus interiit „. Huc pariter ſunt referendæ ſteriles BERTRAMI (*b*), GEHEMAE (*c*), HEISTERI (*d*), LOTICHII (*e*), MÜNNICHII (*f*), THEVARTIqve (*g*). Interea tamen ſæpenumero id genus ægrotæ & concipiunt, & legitimo tempore pariunt, ut paulo ſuperius (*h*) vidimus; imo v. RIEDLINUS (*i*) teſtatur, „ plures ſibi hoc malo affectas curan-
„ das obtigiſſe, qvæ fœcundæ, qvam qvæ
„ ſteriles fuerunt „. Qværi itaqve haud abs re poteſt, qvi fiat, ut non omnes leucorrhœa affectæ ſint ſteriles, ſiqvidem hæc ex iisdem vaſis, unde catamenia, ſcaturiat? Sed recte hujus diverſitatis cauſam omnem HENTRICH (*k*) a ſola leucorrhœæ ſede

(*b*) Vide §. 58 No 2. e).
(*c*) Vide §. 70.
(*d*) Vide §. 50.
(*e*) Vide §. 70.
(*f*) Vide hiſtor, 6,
(*g*) Vide §. 36. e).
(*h*) Vide præced c).
(*i*) l. c.
(*k*) l. c.

pendere exiſtimat, ita ut ſi ſcaturigo fluoris albi ſola ſit vagina, leucorrhœa nihil conceptum partumve legitimum morari qveat; ſin vero illa vel uteri fundum vel tubas vel ovaria tenet, ſterilitas conſeqvatur: in ovario enim geneſis ovuli, in tuba arrectio ſub coitu (& qvæ ab hac pendent), in uteri fundo ovuli ad eumdem adhæſio, &c. impeditur. Ex his autem ſimul eluceſcit, ne in hiſce qvidem ſingulis ſemper ſterilitatem eſſe inevitabilem, ſed poſſe etiam tunc aliqvando conceptum fieri, ut ſi v. g. unius tantum lateris vel ovarium vel tuba, &c. ſedes ſit ac fons leucorrhœæ.

e) *Senſuum vitia*, ob inanitionem vaſorum. Sic oculorum caliginem aliaqve encephali mala ab uberiore leucorrhœa tribus in feminis obſervaverat RIEDLINUS (*l*). Neqve aliorſum, opinor, pertinet obſervatus ab J. de MURALTO (*m*) caſus, tametſi ille eum regurgitationi fluoris albi ad caput imputet; videlicet „femina paſtoris 45 an„norum per triennium ægrotabat, datis ta„men induciis, magnus capitis dolor ad-

(*l*) Vide §. 57 No 2.

(*m*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 7. obſ. 107. p. 170.

„ erat verſus cervicem, retro aures & ca-
„ rotides: malum hoc primitus auditum
„ ei abſtulit, viſumqve debilitavit; ſalſus
„ & acris humor lingvam petebat, maxime
„ cum ſe inclinaret: comedebat, dormie-
„ bat, paroxyſmus per 3 & 4 hebdomadas
„ durabat, fluore albo laborabat, qvæ ma-
„ teria ad caput debile & nervos regurgita-
„ bat; vulva ardebat; multos habuit ructus.
„ A 12 annis defecerunt menſtrua. Facta
„ totius proviſione præſcripſit diaphoret.
„ mart. cum cremor. ♀ & ſacch. item Ω
„ Θ* cum TR^a croci, meliusqve habuit „.
Efficit porro ubertas hæc

f) *Cachexias* varias. Omnis enim immoderata evacuatio eas poſt ſe trahit, qvidni ergo & leucorrhœa? Hydropem ex ea ortum FORESTUS (*n*) vidit, cachecticum habitum cum variarum functionum læſione RAULIN (*o*), SILVATICUS (*p*) &c. Leucorrhœæ an alii cauſæ tribuenda eſt lactis alteratio, de qva J. J. NEUHOLD (*q*)?

(*n*) Vide §. 38. g).
(*o*) Vide §. 75.
(*p*) Vide §. 35. A. d).
(*q*) Commerc. Norimb. T. 4. A. 1734. hebd. 1. No 1. p. 2.

„ Vivit hic loci (narrat ille) nobilis qvæ-
„ dam femina annos circiter duo de qva-
„ draginta nata, temperamento ſangvineo-
„ cholerico, atqve corporis textura graci-
„ liori prædita. In matrimonio 20 comple-
„ vit annos, mater aliqvot liberorum facta;
„ nunc autem in triennium fere vidua vitam
„ agit & ratione ſanitatis & aliarum rerum
„ ſat tolerabilem. Alioqvin menſium fluxu
„ immodico, præcedente ſemper aliqvot
„ diebus fluore albo a multis retro annis,
„ ſine ullis tamen aliis moleſtiis, laborat.
„ Et qvod mirum ... ex utraqve mamma
„ luſtris fere abhinc duobus liqvidum ali-
„ qvod ſpiſſius, coloris longe nigerrimi,
„ qvotiescunqve vult, exprimere poteſt,
„ qvod linteamine exceptum intra ſpatium
„ 24 horarum ad inſtar æruginis viride eva-
„ dit, ſimulqve (ut videtur) naturam cor-
„ roſivam induit. Qvotiescunqve autem la-
„ ctavit, ſaniſſimum lac prolibus ſugentibus
„ præbuit, neqve hujus phænomeni ullum
„ veſtigium, ſicut alias intermedio tempore,
„ apparuit „. Deniqve

g) *Acrimoniam* ſæpenumero uberior diuturniorve leucorrhœa tantam ſenſim conſciſcit humori profluenti, ut benignus initio morbus in malignum demum abeat, qvem-

admodum ſuperius (*r*) hac de re pluribus actum eſt. Hæc autem

B. *Acrimonia* novos producit effectus prioribus multo deteriores, qvorum præcipui ſunt

a) *Excoriatio* uteri, vaginæ, vulvæ, femorumqve velut in caſibus BEHRII (*s*), BÜCHNERI (*t*), BURGGRAVII (*u*), QVARINI (*x*), RIEDLINI (*y*), pluribusqve STÖRCKII (*z*) videre eſt.

b) *Inflammatio* facile in *gangrænam* letalem abiens, cujus terna ſuppetunt exempla. J. B. MORGAGNIUS (*a*) refert hiſtoriam puellæ 14 annorum poſt colicos dolores, procul dubio leucorrhœæ, qva laboravit, tribuendos, mortuæ, cujus „ ventris „ viſcera hic illic tuberculis erant inæqvalia; omentum autem craſſiſſimum fundo „ uteri adhærebat. Hic vero etiamtum „ erat valde parvus, qvalis videlicet puellam deceret, qvam, ſi pubem ſpectares, „ pilis vix ullis inſtructam, necdum plane „ puberem poſſes dicere. Cum incidiſſem

(*r*) Vide §. 4. No. 2. d).

(*s*) Vide §. 36. f).

(*t*) Vide § 43.

(*u*) Vide §. 45 No. 1.

(*x*) Vide §. 55 a).

(*y*) Vide §. 57 No. 2.

(*z*) Vide §. 55. a).

(*a*) l. c. No. 14.

„ (ait), fundi cavum, inveni humida mate-
„ ria plenum ex albo in flavum & ſubviri-
„ dem colorem vergente: qva deterſa fun-
„ di interior facies apparuit in minuta al-
„ bida tubercula paſſim excreſcens. Porro
„ nulla oſculi uterini corona protuberabat,
„ ipſumqve & proximam vaginam, & infe-
„ riorem qvoqve hujus partem & hyme-
„ nem phlogoſis tenebat; ut facile eſſet
„ conjicere, a fluidiori acrioriqve materiæ
„ illius parte defluente inferiora fuiſſe irri-
„ tata, dum craſſior in decumbentis vir-
„ gunculæ utero ſubſiſtens minutis illis ad-
„ hærebat tuberculis, qvæ aut ipſa effece-
„ rat, aut e qvibus fortaſſe prodierat „.
Apud T. BONETUM (*b*) uteri excoriati inflammatiqve cum vaginæ gangræna caſum J. de MURALTO in hæc verba refert:
„ Anglæ qvinqvageſimum jam agenti æta-
„ tis annum menſtrua octennio ante fluere
„ ceſſarunt, nunc inde ab anno redeuntia,
„ ſed inordinate. Per 3 menſes fluore cor-
„ ripitur albo, copioſo, ſummaqve cum
„ virium debilitate, ſenſim aucto adeo, ut
„ ſtanti ambulantiqve ſemper invitæ qvid
„ deſtillet. Acrimonia humoris abditi na-

(*b*) Sepulcr. anat. L. 3. S. 36. Obſ. 1. §. 1.

„ turæ loci multum erodebantur, urinaqve
„ ſupprimebatur: inde grumi ſangvinis
„ prodierunt ingenti cum dolore, præſertim
„ in hypochondriis; alvus per dies 5 conti-
„ nuos adſtricta erat. Adhibita autem in-
„ caſſum fuerunt . . . pharmaca. Tandem
„ ſupervenientibus intolerabilibus circa pu-
„ bem & anum cruciatibus & vomitu ma-
„ teriæ bilioſæ mortua eſt. Diſſecto poſt
„ mortem cadavere ſeqventia notavimus:
„ 1) Omentum tenue ſine pingvedine; 2)
„ ventriculum magnum ac valde capacem,
„ bilioſi humoris plenum, interne ruben-
„ tem, & multis qvoqve glandulis conſpi-
„ cuum; 3) inteſtina tenuia in ingvine ſi-
„ niſtro contracta penitus, & craſſa tum
„ flatibus tum duris excrementis diſtenta,
„ præterea variis in locis veluti occluſa;
„ 4) pancreas cinerei coloris, durum tactu;
„ 5) lienem coloris nigricantis; 6) hepar
„ pallidum, ad flavedinem bilioſam ver-
„ gens, nec ſanguineo rubore tinctum: 7)
„ hujus veſiculæ copioſa bilis inerat. 8)
„ Glandulæ in regione lumborum plures,
„ conglobatæ, atqve aliæ prope uterum,
„ valde duræ erant, humorem craſſum, ſe-
„ baceum, flaveſcentem, & puri analogum
„ ex ſe fundentes, qvo & vaſa lympha-
„ tica diſtenta turgebant. 9) Venarum ſan-

„ gvis

„ gvis tenuiſſimus fuit, ſero multo dilutus.
„ 10) Cordi polypus erat. 11) Pulmones
„ ſani. 12) Ren ſiniſter duplici cavitate pel-
„ vim efformante præditus. 13) Veſica
„ urinaria lotio adhuc turgebat. 14) Ute-
„ rus arcte undiqve partibus vicinis adhæ-
„ ſit, fundo ejus cum recto inteſtino veſi-
„ caqve urinaria unito. 15.) Circa teſticu-
„ los utroqve in latere hydatides ſat ma-
„ gnæ conſpiciebantur, lympha turgentes
„ inſipida. Ipſi teſticuli purulenti & ulce-
„ rati fuerunt; nec tubarum proceſſus rite
„ apparuit. Liqvor in arteriam ſpermati-
„ cam injectus omnia uteri & vaginæ vaſa
„ implevit, indeqve levi compreſſione cum
„ ex utero tum e vagina manavit. Ute-
„ rus magnus erat, intrinſecus rubeus, ex-
„ ulceratus, excoriatus, pure farctus, in-
„ qve ſiniſtrum magis latus inclinans. Ul-
„ cus extra uteri pomœria in vicinam qvo-
„ qve vaginam ſerpſit; nam iſta qvaſi gan-
„ græna tacta prorſus nigricare viſa eſt.
„ Vaſa uteri omnia cruore turgebant „.
Ejuſdem tenoris eſt caſus ab A. STÖRCK (c) obſervatus, nempe „ femina 25 annorum

---

(c) l. c. Cadav. 5. p. 244. ſq.

„ phthiſi, hydrope ventris, & uteri deter-
„ rimo fluore adeo debilitabatur, ut 4to die,
„ qvo in noſocomio fuit, interierit. Ma-
„ teries ex utero prodeuns erat lenta,
„ alba, ſubinde granuloſa, calcarea, ad-
„ modum copioſa, neqvaqvam tamen acris,
„ nec fœtida. Sectione anatomica vidi-
„ mus pulmones adeo exeſos ab acri icho-
„ re, ut nil niſi membranam craſſam, flac-
„ cidam, exulceratam referrent. In ab-
„ domine latuit ſerum copioſiſſimum, ni-
„ grum, fœtidum, qvod totum omentum in
„ fruſta conſumpſit, & inteſtina atqve ven-
„ triculum partim arroſit, partim adeo mol-
„ lia & flaccida reddidit, ut minima vi in
„ pultem potuerint conteri. Uterus & ute-
„ ri vagina videbantur vere gangrænoſa;
„ ovarium autem utrumqve erat pugno vi-
„ rili majus, tuberoſum, durum. Hæc tu-
„ bera diſciſſa continebant materiam albam
„ duram, vere cretaceam; etenim erat fri-
„ abilis, & cum acidis efferv uit. Veſica
„ ea ex parte, qva uterum & vaginam ſpe-
„ ctat, erat qvoqve arroſa, ſemiputrida „.

c) *Ulcera* locis excoriatis inflammatiſqve facile generari poſſe nemo non intelligit; ſed id tantummodo adducere oportet, ulcera hæc adeo prava ſæpenumero evadere, ut vicinas qvoqve partes, præſertim ve-

ſicam & rectum inteſtinum, peſſumdent, vel pus in abdominis cavum eructent. Binis id G. BLASIUS obſervationibus confirmat, nempe (*d*) „ matrona 40 annor. „ ex partu laborioſo fluore albo laborare „ ſe conqverebatur; dolorificus valde hic „ fluxus, nec uniformis ſemper, cum te- „ nuis modo, modo viſcida magis exiret „ materia, diverſi coloris odoriſve: Inje- „ ctiones hic adſtringentes variæ . . . „ adhibitæ, aſt ſine ullo ſucceſſu: poſtqvam „ enim per 14 ſeptimanas miſere ſic vitam „ egit, obiit tandem, exhibuitqve . . . „ diſſecanti uterum omni modo purulentum, „ non uno loco materiam, etiam ex fundo „ ipſo, abdominis cavo communicantem „. Idem porro Auctor (*e*) „ aperuit cadaver „ mulieris alicujus 30 annor. Fluxu hæc „ laboraverat albo jam per 7 menſes, qvi „ ultimis temporibus gravis admodum & „ dolorificus, materiæ fœtidiſſimæ. Urinam „ parce admodum excernebat, nec un- „ qvam ſine dolore. Diſſectus venter ve- „ ſicam urinariam offerebat mirum in mo-

(*d*) Obſ. med. rar. P. 5. Obſ. 3.
(*e*) Ibidem Obſ. 5.

„ dum diſtentam, urinæ inſigni qvantitate „ repletam, capitis humani magnitudini „ fere accedebat, ad umbilicalem regionem „ ſe extendens, oſſium pubis margini fir- „ miter undiqve adnata; incumbebat hæc „ uteri non ſolum vaginæ, ſed & fundo; „ imo pondere ſuo partem utramqve gra- „ viter adeo comprimebat, ut non rotunda „ aut ſaltem leviter protuberans, ſed com- „ planata, imo potius ſinuoſa obſervata „ fuerit. Fundus ipſe ſubſtantiæ licet debi- „ tæ, vix a naturali ſtatu recedentis, par- „ te antica atqve poſtica digiti tranſverſi, „ laterali utraqve duplicis digiti, craſſitiem „ habebat, hinc, ampla valde qvamvis ipſi „ incumbens veſica, extenſio ejus tanta, „ ut utriusqve manus digitis tegi vix va- „ leret. Vagina ab extremo pudendi „ usqve ad orificium internum ulcere ſor- „ dido affecta notabatur, ſcatebat hæc ma- „ teria purulenta ſumme fœtida, cujus „ etiam aliqva portio ipſo in ventris cavo, „ loco eo, ubi vagina dicta inteſtino recto „ cohærebat, reperiebatur; eo qvod con- „ ſumpta ſubſtantiæ uteri particula materiæ „ illi conceſſus fuerit exitus, omnibus lo- „ cis gravis æqve vaginæ hujus exulcera- „ tio, levior qvæ vicina magis orificio ex- „ terno, gravis qvæ interna. Nec tamen,

„ ab ulcere qvamvis libera magis pars an-
„ tica vaginæ dictæ, alienæ conſtitutionis
„ omnino expers reperiebatur; duritiem
„ enim hic ſingularem notabamus, imo &
„ craſſitiem, utraqve tanta, ut ſubſtantia
„ vix minimi digiti craſſitiem habens na-
„ turaliter conſtituta 2 pollicum craſſitiem
„ ſuperaret, cartilaginoſæ fere conſtituti-
„ onis . . . In latere dextro tuba uterina
„ circa extremitatem eam, qvæ ab utero
„ eſt remotior & amplior, inflammata valde,
„ toto reliqvo corpore purulenta omnino,
„ cavitate omni deſtituta; purulentus itidem
„ teſticulus. In ſiniſtro utraqve pars a
„ ſtatu legitimo notabiliter haud recedebat.
„ In utroqve, loco teſtibus vicino, corni-
„ bus uteri adhærebat veſica, qvarum dex-
„ tra ovi gallinacei magnitudinem habebat,
„ liqvore gelatinoſo, pellucido, ſubflavo
„ repleta, ſiniſtra vix juglandis, aqvoſa
„ magis. Ren uterqve ſero mire extende-
„ batur, forſan qvod urinæ excretio ali-
„ qvamdiu parcior fuerit. Ureteres am-
„ pli itidem. Veſica fellis inſignis qvoqve
„ magnitudinis, bile turgida. Hepar bo-
„ næ notæ, pancreas qvoqve. Lienis mira
„ ſtructura, numerum ſive ſpectes, ſive fi-
„ guram; ille duos exhibebat lienes intime

„ connexos, ſic ut non niſi ſingulari adhi-
„ bita circumſpectione ſeparari potuerint;
„ hæc locis variis inciſam ſubſtantiam, a-
„ deoqve qvaſi in lobos qvoſdam parte ea,
„ qvæ ventris anteriora reſpiciebant, divi-
„ ſam. Imo in liene hoc duplici ex cor-
„ pore dicto modo compoſito appendicula
„ ſingularis etiam obſervabatur, qvam lo-
„ bum ejus vere nominare licebat. Circa
„ renem ſiniſtrum nucis moſchatæ magnitu-
„ dinem habens globoſa occurrebat ſub-
„ ſtantia vaſis mire irretita, diſſecta hæc
„ lienis ſubſtantiæ ſimillima obſervabatur.
„ Cordis ventriculum dextrum inſignis ad-
„ modum occupabat polypus, tenax valde,
„ albus, fibroſus, extendebat ſe ad plu-
„ rium digitorum longitudinem in arteriæ
„ pulmonalis interiora. Mediaſtino circa
„ pericardium utroqve latere veſiculæ va-
„ riæ flatu turgidæ adſtabant. In ingvine
„ ſiniſtro glandulæ, qvæ aderant, naturali
„ in ſtatu inveniebantur; aſt qvæ in dextro
„ duplicis juglandis ſimilitudinem referebant
„ externam faciem ſpectantibus, licet val-
„ de inæqvales eſſent, diſſectæ plurimis ex
„ particulis albiſſimis, facile digitis reſolu-
„ bilibus, ſingulari tunica inveſtitis, com-
„ poſitæ videbantur. Cor, renes, partes-
„ ve aliæ variæ maculas exhibebant in tuni-

„ cis ſe manifeſtantes, ſubnigras, linea al- „ bicante circumſcriptas „. Unde præcipua hic relata mala orta ſint, non conſtabat; qvia ægra allata jam adeo erat debilis, ut vix verbum proferre potuerit: ſuſpicatur tamen auctor, complicationem adfuiſſe labis venereæ, ob multa huic ſolennia phænomena iſthoc in cadavere detecta. Haud eſt dubium, fœdiſſima ulcera non raro ab leucorrhœa ſyphilitici qvid ſimul habente effici. Sic J. RHODII (*f*) „ mulier . . . „ utero ac inteſtino recto eroſis a fluxu „ albo cum lue venerea parte anteriore „ feces reddidit, poſtica lotium „: unde menſe poſt obiit. Malignis id genus ulceribus letalis qvandoqve gangræna ſupervenit, velut in LAELII a FONTE (*g*) matrona, cui e diuturna vagis cum doloribus leucorrhœa, febrim demum veſperi ſemper graviorem adſciſcente etiam, ulcus uteri enatum, ac tandem in gangrænam abiens, mortem intulit.

d) *Excreſcentiæ* fungoſæ, polypoſæ, facile exulcerandæ, tantæ ſæpe molis, ut

(*f*) Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 91.
(*g*) Conſult. 119.

vagina omni repleta urethræ qvoqve orificio præcluſo lotii excretionem impediant. Videntur eæ nil eſſe aliud, ut ipſe etiam idem ſuſpicatur MORGAGNIUS (*h*), qvam morboſæ vaſorum, e qveis fluor albus procedit, productiones, qvales poſt crebras narium hæmorrhagias, teſte N. J. PALUCCI (*i*), narium perinde polypos generare ſolent. Tumores hi vix unqvam curationem patiuntur, & ablatio eorum aut inutilis eſt, aut etiam aliqvando funeſta, id qvod e ſeqventibus pateſcet hiſtoriis. A. LOEW (*k*) narrat matronæ obeſæ indeſinentem fere leucorrhœam purulentam fœtidam, at ſine dolore, paſſæ exiguum intra vulvam tumorem apparuiſſe, qvi uteri orificio adnatus menſibus ob ætatem jam deficientibus qvotidie crevit ac magis tumuit, iiſdem vero fluentibus, qvi ſæpe intempeſtivo, aliqvando immoderato & ad aliqvot ſeptimanas continuato fluxu urgebant, iterum detumeſcebat. Væ So, cathartica, diuretica, decocta lignorum, ſuffitus, injectiones, fon-

(*h*) l. c. No. 14. 27. Vide præced. b).

(*i*) Ratio facilis atqve tuta narium curandi polypos.

(*k*) Act. nat. cur. Vol. 1. app. p. 72.

ticulus, &c. nec leucorrhœam nec tumorem curarunt. Alium id genus caſum & J. BURTON (*l*) & MORTIMER (*m*) deſcripſere, videlicet puerpera a partu commode edito incidit in ſeptennem leucorrhœam, adeo tandem uberem effectam, ut ſubinde ſedenti omnes togas permeans ſedile qvoqve humor madefecerit. Demum poſt prævium ponderis in utero ſenſum emerſit fungoſus tumor, qvi ab orificio uteri enatus, celeri incremento vaginam replens diſtendenſqve extra ipſa vulvæ labia proceſſit, preſſuſqve olidam ſaniem cruentam emiſit. Aderat ingens lumborum uteriqve dolor cum pulſu parvo, crebro vomitu, ſudoribus profuſis, ac majore in dies debilitate. Ligatura ergo fungo ſurſum verſus tenuiori & in anguſtum collum deſinenti, oſculum tamen uteri uſqve adeo implenti, ut e lævo tantum latere poſtrorſum exiguum reliqverit interſtitium, altiſſime injecta, datiſqve remediis internis, cum intra 2. 3ve

(*l*) LESKE auserl. Abhandl. pract. u. chir. Innhalts aus den philoſ. Tranſact. 3. Th No. 35. p. 112. ſqq.

(*m*) VANDERMONDE Iourn. de Medec. T. 3.

dies doloribus non imminutis, fœtore autem facto deteriore, qvalis eſt cancri ulcerati, tumor lividior fieret, ac materia in exitu ſpiſſior ſubſiſteret, vagina crebris injectionibus emollientibus addito melle roſaceo pauxilloqve TRæ myrrhæ mundanda erat. Hinc fœtore imminuto ipſe etiam polypus poſt aliqvot dies excidit denſus, coloris hepatici, qvi diſciſſus præbuit ſubſtantiam, qvalis cancroſis in ulceribus reperitur; qvamdiu autem utero adhæſit, ſenſu caruit. Inde ægra vires aliqvatenus recuperavit, nihilominus tamen valetudinaria ſemper, ſuamqve leucorrhœam porro experta, nihil ab hac medendi methodo profecit. Hac infelicior etiam fuit J. G. BOETTICHERI (*n*) femina 53 annorum, cui a 20 & amplius annis leucorrhœam cum febre lenta, anorexia, cardialgia, ſtomachi poſt paſtum inflatione, ructibus, alvo adſtricta, ac vertigine paſſæ, cum ejuſmodi excreſcentia in vaginæ veſtibulo enata, omnem ejus introitum, ut urina ſtillare vix poſſet, occupans, albiſſima, lamellata, fluxum ſub augmento ſui minuens, lentam vero febrem augens, indolens tamen, ac mutilata poſt

(*n*) Act. nat. cur. Vol. 10. Obſ. 100.

hæmorrhagiam ſemper iterum die poſtero, ut ante, recreſcens, cui biennio ante humor fluoris albi fœtidiſſimus acerrimuſqve jam præluſit, ferro improvide diſſecta fuiſſet, letalem cauſavit hæmorrhagiam.

e) *Dolor* uteri, vaginæ, genitalium ve ſæpe enormis; qvippe cujus complures præſto ſint cauſæ, nempe acrimonia ipſa variæ intenſitatis (*o*), excoriatæ partes ſenſiliſſimæ (*p*), qvas illa porro laceſſit, aut plus minus inflammatæ (*q*), aut gravius ulceratæ, (*r*), &c. præſertim ſi venerei qvid ſimul adſit. D. PANAROLI (*s*) mulier ſummos inter dolores periit, „ qvæ „ ex aſſidua gonorrhœa (venerea) circa „ uteri regionem atrociſſimos cruciatus pa„ tiebatur. Mortua ſecta vomica in uno „ qvoqve teſte inventa fuit „. Qvantos vero ALBRECHTI (*t*) matrona dolores experta ſit, vel inde liqvere poteſt, qvod optarit ex hæmorrhagia eos ſemper leniente obire, qvam illos denuo ſentire.

(*o*) Vide §. 4. No 2. d).
(*p*) Vide præced. a).
(*q*) Ibidem b).
(*r*) Ibidem c).
(*s*) Obſ. med. Pentec. 1. Obſ. 14.
(*t*) Vide ſeqventi g).

f) *Urinæ difficultas* aut *ſuppreſſio*, cujus perinde non una cauſa adeſt, puta fungoſos polypos orificium urethræ præcludentes (*u*), ſpaſmos ab excoriatione (*x*), tumorem inflammatorium, &c. velut hæc e caſibus BLASII (*y*), BOETTICHERI (*z*), ac MURALTII (*a*) ſatis ſuperqve eluceſcunt.

g) *Hæmorrhagiæ* uteri a vaſorum eroſione. Tragicum hujus rei caſum narrat J. P. ALBRECHTUS (*b*): matrona 46 annorum a multis annis leucorrhœam continuam & uſqve adeo uberem, ut intra breve diei tempus aliqvot cochlearia materiæ excerneret, negligens, re tandem in deterius vergente fruſtra varia tentavit; etenim fluor acrior factus atroces demum per intervalla cauſavit dolores, qvos ſemper non multo poſt horrenda dierum aliqvot inſecuta hæmorrhagia mitigabat, ſubſiſtens vero eosdem excitabat, adeo ut ægra ardenter optarit ſub illa ſine dolore mori, ne iſtum porro vel momento experiretur amplius. Interea tamen calamitas ejus nonum in menſem duravit immedi-

(*u*) Vide præced. d).
(*x*) Vide præced. a).
(*y*) Ibidem c).
(*z*) Ibidem d).
(*a*) Vide præced. b).
(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 5. obſ. 21.

cabilis; donec oborta iterum hæmorrhagia demum obiit.

h) *Tabes, phthiſis.* Cachexiam ab uberiore diuturnioreqve leucorrhœa invehi, ſuperius (*c*) dictum fuit, qvam eo etiam promptius conſciſcet, ſi acrimonia ſimul prædita fuerit. Cum autem cachexiæ per ſe tabem, febrem lentam, phthiſinqve efficere valeant, tum in primis facile hæc ſingula conſeqventur, ubi acre pro parte reſorptum univerſæ humorum maſſæ jugiter in dies miſcebitur. Sic phthiſica evaſit RAULINI (*d*) femina, eodemqve malo demum periit STÖRCKII (*e*) femina, & e maraſmo RAULINI (*f*) puella, qvæ e matre, uberem leucorrhœam cum ante graviditatem tum ſub eadem paſſa, vitam nacta poſt ſcabiem, varos, eryſipelata, rheumatiſmos, aliaqve jam inde a nativitate incommoda ante 8um annum incidit in leucorrhœam lactis ſero ſimilem, qvæ anno 12mo evaſit chyloſa. Anno 14to nuptui datæ, breviqve prægnanti fluxus proceſſit uberior cum langvoribus; feliciter tamen & hoc

(*c*) Vide præc. A. f).
(*d*) Vide §. 18. b).
(*e*) Vide præced. b).
(*f*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 1. p. 223.

& inſeqvente anno peperit: inde vero fluxus factus flaveſcens, bilioſus, & excorians, tamqve copioſus, ut & difficillime celaretur, & ægram exhauriens intra biennium maraſmo necaret. Proles relictæ langvidæ; poſterior obiit, prior vero nondum id temporis convaluit. Porro febricula lenta depaſcebatur ægras SCHENKBECHERI (g), SILVATICI (h), ac WEIKARDI (i): ſceleti in modum extenuata fuit DEGNERI (k) virgo.

i) *Exanthemata*, qveis reſorptum acre, vel ipſa phthiſis, vel alia cachexia inducta occaſionem facile præbet. Sic E. G. BALDINGER (l) vidit ab irradicata leucorrhœa peſſima miliaria enata cum vehementiſſimis convulſionibus, deliriis, diarrhœa, &c. Ægra tamen uſu ptiſanæ, eccoproticorum, camphoræ, ac demum Corticis Peruv. poſt plura prius etiam veſicantia admota, convaluit. Haud ſecius F. HOFFMANNI (m) „ Ill. matrona 27 annor. conſtitutionis valde „ teneræ, & temperamenti ſangvineo-phle-

(g) Vide §. 55 d).

(h) Vide §. 35. A. d).

(i) Vide §. 58 No 2. d).

(k) Vide §. 38. f).

(l) Von den Krankh. einer Armee 3 Th. 1. Abſchn. 4 Cap. p. 221. ſq.

(m) l. c. Obſ. 4.

„ gmatici, ante 9 circ. annos poſt puerpe-
„ rium lochiis ceſſantibus moleſto albæ vi-
„ ſcidæqve materiæ ex genitalibus profluvio
„ cœpit laborare, qvod inter initia, cum
„ parum exinde perceperit incommodi, non
„ adeo multum æſtimavit. At vero inva-
„ leſcente hoc malo, cum multa alia ac-
„ cederent ſymptomata, plures conſuluit
„ medicinæ peritos; qvorum qvidem ope ſe
„ levatam paululum vidit, penitus tamen
„ liberari nunqvam potuit. Jam brevi ab-
„ hinc tempore fluxus tanta ſumpſit incre-
„ menta, ut non modo copioſior ex geni-
„ talibus feratur, ſed & menſibus duranti-
„ bus non ceſſet: unde vires valde decre-
„ ſcunt, atqve pedum tanta eſt imbecillitas,
„ ut vix 20 paſſus ſine ingenti virium de-
„ fectione progredi ægra poſſit. His accidit
„ ſumma cutis ſenſibilitas; ſiqvidem ſub
„ qvavis fere aeris mutatione ſubito corri-
„ pitur rheumatiſmo cum cephalalgia, do-
„ loribus odontalgicis, & faciei eryſipelate
„ ſtipato. Haud ita pridem accepto triſti de
„ ſubita propinqvi morte nuncio vis morbi
„ ita invaluit, ut nec extra lectum eſſe,
„ nec ſomnum capere poſſit. Imo nunc
„ qvoqve per intervalla, qvod peſſimum
„ eſt, frigus accedit, extremorumqve tre-
„ mor, ac animi deliqvium „. Conſuluit Cl.

Vir, non tam ad leucorrhœam, qvam atrophiam cachecticam reſpiciens, præter juſtum regimen 1) Elix. viſceral. gtt. 80 bis de die cum cibo. 2) ▽æ Selteranæ cum ⅓ lactis aſinini ℔ ij & amplius qvovis mane per menſem. 3) Qvovis triduo ſub noctem pilul. balſam. No xj ad leucorrhœam moderandam; externe vero ſuffitus, & epithema ex aceto fl. ſamb. cum æqva parte ▽æ Reg. Hung. ad ingvina,

§. 36.

3. *Suppreſſa* præpoſtere alios morbos creat, præſertim ſi vetus fuit, ſi cito cohibita, ſi ulceratio ſimul adfuit. Imo rite etiam tractata curataqve in alia qvandoqve mala, eaqve per totam vitam infeſtantia, genium mutat, cujusmodi caſum in J. STORCHIO (*n*) videre eſt. Nolo hic pathologicis momentis, qvippe qvæ in vulgus nota ſint, ſingula illuſtrare; ſed exempla morborum inde oriundorum potius dabo. Sunt nimirum

a) *Dolores* varii, ut *capitis*, qvos MÜNNICHII (*o*) mulier, ac puella TILLIN-

(*n*) Von den Weiberkrankheiten 8 Band, caſu 50 p. 205 ſqq.

(*o*) Vide hiſtor. 6.

GII (*p*), ſenſere, moleſtæ *nuchæ tenſiones*, velut in KANOLDI (*q*) caſu, acuti *dorſi cruciatus*, qvos FÜRSTENAUII (*r*) vetula tulit, aut *lumborum*, *oſſis ſacri*, qveis NENTERI (*s*) femina excruciabatur, & deniqve *arthritici* BEHRII (*t*) puellam torqventes. RAULINI (*u*) puellæ 18 annor. cum poſt 40 dierum febrem putridam convaleſcenti perturbationes ſtomachi, colicæ, motus febriles, & inſomnia accidiſſent, menſesqve tempore morbi haud reverſi in trimeſtre emanſiſſent, oborta eſt continua fere leucorrhœa. Vice qvadam autem repente dyſuriam pati cœpit cum tantis imi abdominis doloribus, ut nec ſtare nec ſedere qviverit, qveis mediocris febris comes erat cum cutis calore ac ſiccitate. Abdominis univerſi, in primis autem hypogaſtrii, tenſio dolorifica, ne induſii qvidem attactum ferens, ſe ſe ad femora uſqve extendebat: urina inter ſæviſſimos cruciatus non niſi guttatim excernebatur; leucorrhœa autem erat ſuppreſſa. Sæpius igitur educto ſangvine, fotibusqve emollien-

(*p*) Vide §. 45 No 2.
(*q*) Vide §. 37.
(*r*) Vide §. 66.
(*s*) Vide inferius in g).
(*t*) Vide ſeqv. f).
(*u*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 5. p. 339.

tibus ventri crebrius admotis, ac dato potui ſero lactis, aqva pullorum, emulſione cum pineolis & 4 ſem. frigidis, &c. cum nil proficeretur, ægra immiſſa eſt in balneum decocti emollientis ſemel atqve iterum interdiu, tertium noctu, poſteroqve mane qvartum: poſt iſtud levamen adfuit, mitiores facti dolores, & lotium libere fluxit. Abdomen tunc liberius exploratum dolebat univerſum, ſed mollius jam, qvam ante. Senſiliſſimum erat hypogaſtrium, qvo manu leniter compreſſo inſignis uteri inflatio ad umbilicalem uſqve regionem pertinens tangebatur, dolorqve tam acer tenebat tubas, ovaria, ac ligamenta, ut non minor in ingvinibus, qvam utero, ſentiretur, qvi ſe ſe eadem pene vehementia in internam ſuperiorem ac mediam femorum partem porrigebat. Symptomata hæc continenter minuebantur, donec tandem plane remediis ceſſere. Catamenia reverterant; deſiitqve leucorrhœa.

b) *Catarrhus*, qvem JENSENII (*x*) vidua tuſſiens, & SCHAARSCHMIDTII (*y*) femina graviſſimum eſt experta.

(*x*) Vide §. 37.
(*y*) Ibidem.

c) *Diabetes*, qvem letali cum eventu ſuperveniſſe refert G. BALLONIUS (z) feminæ cuipiam, cui „ diutius fœtens putrisqve illa illuvies effluxerat, qvum annos 60 nata foret, uſurpato levi qvodam „ remedio inopinato ſuppreſſa eſt. Nec diu „ impune eam ſuppreſſionem tulit. Etenim „ diabetes illius loco multo funeſtior ſucceſſit, manifeſtus, ſuis ſe ſe ſignis exprimens, 3 aut 4 menſes exercuit, & ad „ mortem comitatus eſt. Tota fere die urina plane aqvea fluebat, nec natura eam „ ſiſtere poterat. Qvum ſat bene habita „ eſſet, emacruit continuo, & ſiti inexplebili cruciabatur; lingva areſcebat, & eam „ pellucidam præ ſiccitate vidi; fœtidum exſpirabat & cadaveroſum. Qvæſivi num in „ renum regione ſenſum caloris aliqvem ob „ putrem materiam ſuppreſſam percepiſſet? „ ... Retulit, caloris loco ita partem illam „ perfrigentem percipere ſe, ac ſi glacies ini-„ ibi cogeretur „.

d) *Exanthemata* chronica vel acuta. Sic L. G. KLEIN (*a*) „ obſervavit ... ex

(z) Conſilior. medicinal. L. I. Conſ. 56. Opp. T. 2. p. m. 231.

(*a*) l. c. p. 112.

„ fluore albo benigno repreſſo . . . ſcabiem „ univerſalem humidam pruriginoſam „. Et F. HOFFMANNI (*b*) qvadragenaria purpuram inde eſt adepta.

e) *Febres* variæ indolis; putridam febrem obſervavit WEIKARDUS (*c*). J. THEVART (*d*) meminit matronæ leucorrhœam tetri odoris paſſæ, cum fœcunditate, ita ut concepta femella fluor pergeret, etiam uberior, mare autem concepto aut parcior procederet, aut ſiſteretur. Ubi autem hic prorſus fere ſubſtitiſſet (an qvia maritus triennium a matrona ſe abſtinuit?), matrona ſenſim intra aliqvot annos emarcuit, omniaqve alimenta faſtidiens ab eorum uſu fere abſtinuit. Tandem 3na febre prehenſa eſt, cujus tertius inſultus rigoris vehementia internoqve æſtu ſummo ita illam afflixit, ut poſtero die obierit, maximopere de dolore ad hypogaſtrium qveſta. In cadavere pulmo aliqvatenus erat inflammatus, hepar exſuccum & malo colore, uterus autem corruptus & qvaſi gangrænoſus, plenus tabo ſanieqve.

(*b*) Vide §. 37.
(*c*) Vide §. 58. No 2. d).
(*d*) Nota 2 in BALLON. Conſ. L. 3. Conſ. *96*.

f) *Abſceſſus, ulcera.* Sic referente apud J. SCHENCKIUM (*e*) J. BAUHINO, uni ex ancillis cœnobii ſæpe, idqve aliqvot annis, pus e mammillis fluebat, qvæ olim leucorrhœæ fuit obnoxia. Porro G. H. BEHRII (*f*) „ puella annorum 19, temperamenti ſangvineo-phlegmatici, brevioris „ ſtaturæ, veneri non parum addicta, per „ 2 fere annos fluorem album continuo durantem cum inſeqvente excoriatione partium genitalium experta fuit. Hæc ... „ incidentibus, reſolventibus, evacuantibus, tonicisqve remediis optime tractata, „ veneris vero luſui intermedio tempore „ ſemper incumbens, nullum exinde perſentiſcebat levamen. De auxilio itaqve „ deſperans a... medicaſtra potiones aſſumpſit ſiſtentes atqve adſtringentes, iisqve „ fluorem hunc inveteratum derepente ſuppreſſit. Verum enim vero poſt decurſum „ aliqvot ſeptimanarum ſummis affecta eſt „ cruciatibus arthriticis, qvos ſecuti ſunt „ tumores œdematoſi partium corporis inferiorum: dolores illi etiam tamdiu perſtiterunt, donec abſceſſus inter femur

(*e*) Obſ. med. L. 2. fol. m. 309.
(*f*) Act. nat. cur. Vol. 10. Obſ. 103.

„ dextrum ipſius rimamqve pudendi magnam in conſpectum venit, qvi remediis externis legitimo modo tractatus, qvum magnitudinem ovi anſerini æqvaret, tandem ruptus magna copia materiam mucido-acrem ſummeqve putridam effudit cum præſenti levamine ſymptomatum omnium. Abſceſſu poſtremum digeſtivis balſamicis ac ſarcoticis convenientibus curato & conſolidato, corporeqve ægrotæ debito modo expurgato, ad ſanitatem per longum jam tempus amiſſam puella hæc rediit „. Perinde Vratislavienſis matrona (g) leucorrhœa inveterata aluminoſo balneo ſuppreſſa in ulcus uteri incidit. Haud ſecius BAJONI (h) femina e leucorrhœa uſu octiduano remedii empyrici ſuppreſſa incidit in vehementiſſimam uteri inflammationem, qvæ facta in brachio Væ Se, adhibitisqve ſemicupiis, fotibus, enematisqve emollientibus & anodynis, ac diluente potu, nihilominus in ſuppurationem abiit. Hinc immiſſis vaporibus relaxantibus, & injectionibus factis abſceſſus in cavum uteri ru-

(g) Vide §. 72. C. b).

(h) ROUX Journ. de Medec. &c. T. 32 A. 1770 Juin p. 521.

ptus minimum ℔ ij puris per vaginam effudit. Qvo ſacto ægra adhibitis idoneis remediis intra 2 menſes ex toto convaluit.

g) *Phthiſis*. Qvam enim facile ſubſiſtens leucorrhœa thoracem petat, J. D. GOHLII (*i*) obſervatio innuit: „ femina Gallica „ (refert ille) Francofurtana 30 circ. annorum ante plures annos fluore albo laborans ... medicinam qvidem nacta eſt, qva „ fluxus iſte fuit imminutus; in ejus locum „ vero brevi poſt ſecuta eſt materiæ translatio ad cerebrum & pectus, ut virulentam qvaſi materiam non ſaltem naribus „ excernat, ſed & tuſſi rejiciat „. Qvam vero a facta id genus pravæ materiæ ad pulmones metaſtaſi phthiſis cito conſeqvatur, aliorum itidem docent hiſtoriæ. Sic RAULINI (*k*) matrona leucorrhœam 4 annorum, cum dyſpepſia feroſisqve vomitionibus, perpeſſa, materia primum alba ac ſpiſſa, dein vero tenui, ſubviridi, tam acri tamqve copioſa procedente, ut neqve ſedere præ dolorificis ventris femorumqve tenſionibus ac puncturis & ardore vehementi, neqve præ debilitate artuum inferiorum, niſi laborioſe,

(*i*) l. c. No 6. p. 20.
(*k*) l. c. P. I. S. 2. C. 4. p. 138.

incedere poſſet, eam demum uſu qvarumdam pilularum ſenſim ſtitit; cujus vel ad primam mox imminutionem tuſſis occepit ſat valida, celeriterqve crevit, cum ſputis aqvoſis primum, dein cruentis; acceſſit febris lenta, ſputa purulenta facta, & ægram conſummata demum phthiſis confecit. In cadavere inteſtina tenuia erant ſumme inflata & ampliata, craſſa vero admodum coarctata, meſenterium glandulis obſtructis refertum, ſanis ceteris viſceribus, ſanoqve ac ſecundum naturam reperto utero. In thorace univerſa pleura pulmonibus firmiter adhærebat: lævo in pulmone verſus coſtam ſecundam binæ glandulæ bronchiales nucem æqvantes apparuere materiam ſebi ſimilem continentes, & e pulmone; dum a coſtis ſeparabatur, effluxit fere cochlear puris fœtidi, e cyſtide uni dictarum glandularum reſpondente provenientis, qvæ inſignem formabat ſinum, ſe ſe a lobi ſuperiore parte ad imam uſqve extendentem, & facile 4 digitos admittentem. Tota hujus pulmonis ſubſtantia contracta erat, ulceribusqve ac tuberculis ſcatens, ac ſanie fecibus vini ſimili referta. Inferius extremum diaphragmati firmiſſime adhærens velut cartilaginoſum videbatur. Dextri pulmonis lobi in ſe confuſi erant, diaphragmati adhærentes, &

ſcirrhoſis purulentiſqve tuberculis pleni. Perinde etiam NENTERUS (*l*) feminæ hiſtoriam refert, qvæ ob dolorem lumborum & oſſis ſacri in dies acerbiorem & nullis reſolventibus, opiatis, acidulis, emplaſtris, ungventis, &c. abigendum pluribus ab annis ambulare neqviverat. Urinæ formabant ſedimentum album & craſſum, atqve e genitalibus profluebat, præſertim inſtantibus finientibuſqve catemeniis, mucoſus humor, cujus excretione imminuta dolores facti vehementiores. Data demum TRa alcalina ac pilulis BECHERI poſt aliqvot menſes leucorrhœa uberius procedens dolores ita mitigavit, ut ægra baculi ope ambulare potuerit. At cum doloribus anno inſeqvente reverſis illa longe alia, qvam qvæ tantopere profuerant, oppoſuiſſet remedia, incidit in phthiſin letalem. Eundem a perperam ſuppreſſa leucorrhœa eventum ſortitæ ſunt binæ SACHSII (*m*) ac WINCLERI (*n*) matronæ.

(*l*) RAULIN l. c. Tom. 2. P. 3. S. 3. C. 1. p. 556.

(*m*) Vide §. 72. C. b.

(*n*) Ibidem.

§. 37.

4. *Reverſa* leucorrhœa, ſeu ſponte ſeu arte, mala a ſui ſuppreſſione orta plerumqve tollit. Ita in Annalibus Vratisl. (*o*) feminæ e perfrigerato corpore & inſeqvente terrore leucorrhœa ſubſiſtens moleſtas nuchæ tractiones, obnubilationem capitis, torporem, & inappetentiam cauſavit; ſed ex uſu TRæ ♂ii cum eſſent. ſucc. item ☿ nitroſo-cinnabarin. reverſa leucorrhœa omnia iterum ſuſtulit. J. C. TILLINGII (*p*) puella octennis, vivax, ingenioſa, ſana, at pallidula, leucorrhœamqve iiſdem cujusqve menſis diebus pati ſolita citra ullam aliam moleſtiam, cum ſub ipſo fluxu aqvas Carolinas uſurparet uberius, leucorrhœam ſtitit ſeqvente vehementiſſima cephalalgia cum totius corporis gravitate: at diminuta thermarum doſi, qvæ alvum ſatis movit, leucorrhœa revertens puellam ſanitati reddidit. L. G. KLEIN (*q*) „ non ſemel vidit fe-

(*o*) Tent. 35. A. 1726. Febr. Cl. 2. art. 1. §. 3. p 163.

(*p*) Obſ. med. ſing. circ. verum uſum therm. Carol. 20. p. 39.

(*q*) l. c. tit. catarrhus p. 93.

„ brem catarrhalem ex retento repreſſo „ fluore albo, huncqve eadem denuo ite- „ rum cum ευφορια revocatum „. Imo haud ita raro accidit, ut leucorrhœa velut metaſtaſibus huc illuc ſponte factis morbos variarum partium creet, qvi ſponte illa iterum reverſa denuo evaneſcunt, repullulaturi iterum ſubſiſtente profluvio, idqve ita, ut alternis ſibi mutuo ſuccedant temporibus, cujus rei memorabilem hiſtoriam refert J. STORCH (r) de matrona 30 annorum cholerico-melancholica, qvæ ubi poſt partum puellæ leucorrhœam nacta fuiſſet, aliqvanto poſt ei pollex pedis velut ab ungve introrſum creſcente adeo male affici occepit, ut nonnulli eum adimendum cenſuerint. Toto hoc tempore leucorrhœa abfuit; at ſanato pollice continuo rediit. Abhinc vero per plures annos cum cephalalgia & odontalgia alternavit, donec matrona denuo concepit: tum vero a media graviditate ad 8um uſqve menſem exqviſitos abdominis dolores perpetiebatur; qvos cum pingves litus non ſedarent, lotiones vino calido litusqve e caſtoreo cum ▽a reg.

(r) Von Weiberkrankheiten 3 Band, caſu 4. p. 74. ſqq.

Hung. lenivere. Tandem feliciter puerum enixa eſt, puerperio ſine ulla ægritudine conſecuto. Fuſius hunc ipſum caſum Auctor alibi (s) perſeqvitur, additqve rem hic non prætereundam, nempe priuſqvam in pollicem pedis morboſa materia decubuiſſet, numeroſos in capite pediculos fuiſſe enatos, totoqve illo tempore, qvo hi adfuere, leucorrhœam abſuiſſe. Poſt pollicis affectionem molam geſtavit, excrevitqve. Inde inſeqventi menſe catameniorum profluvium eſt perpeſſa. Lapſo abhinc trimeſtri & leucorrhœa afflixit, & in vagina uteri abſceſſus ortus eſt, cui ſanato aliqvot menſium tuſſis ferina ſucceſſit. Inſequenti anno ſub continua leucorrhœa ulcus in palato enatum eſt. Altero vero anno menſes decolores cum pure miſti prodibant, ut ſuſpicio eſſet, venerei qvid ſubeſſe (ni cancer potius uteri adſuerit). Et vero ſuperius (*t*) jam meminimus leucorrhœam cum malis catarrhalibus, coryza, tuſſi, &c. haud raro alternare. s. SCHAARSCHMIDTII (*u*) femina 37 annor. qvotannis vere & autumno

(*s*) Ibidem 8 Band, caſu 19 p. 88. ſqq.
(*t*) Vide §. 18 e).
(*u*) l. c. 2. Th. No. 50. p. 374. ſqq. 395.

ſangvini mittendo aſſveta, & aliqvot ab annis leucorrhœam paſſa, obſervavit hanc ingruente qvandoqve uberiore coryzæ fluxu parcius procedere, ut primum vero leucorrhœa increſceret, continuo miteſcere coryzam & conqvieſcere: cumqve aliqvando neglexiſſet autumnalem V. S. leucorrhœa inde parcior facta demum ſubſtitit, abiitqve in graviſſimum catarrhum (nempe carebariam inſignem, odontalgiam fugacem, anoſmiam, anginam, agheuſtiam, aurium ſuſurrum, tuſſim vehementem, &c.) cum febre nocturna, & omnium ingeſtorum vomitu. Qvo rite curato leucorrhœa iterum revertit. Pariter C. JENSENII (*x*) viduæ 35 annorum leucorrhœa plusqvam triennis a ſuſcepto pedibus frigore humido ſubſiſtens tuſſim plurimis cum ſputis mucoſis cauſavit, & hac per ſiccas pedum frictiones ac pediluvia, iterataqve cathartica, ac demum tonico-diapnoica intra 12 dies ſublata octiduo poſt revertit. Haud ſecius RAULINI (*y*) matronæ leucorrhœa flava, perqvam acris, & copioſa, ſub catameniorum finem

(*x*) BÜCHWALD prodrom. ad Act. med. Hafn. contin. p. 160.

(*y*) l. c. T. 1. P. 1. S. 2. C. 4. p. 141.

a ſubito terrore ſuppreſſa, rediit qvidem poſt proximam menſium periodum priſtina & indole & ubertate; ſed a momento, qvo ſubſtitit, dolorem dorſi ac thoracis verſus cartilaginem xyphoideam accivit, cui ſe aliqvanto poſt junxit tuſſicula ſicca cum nonnullis ſputis cruore tinctis. Remediis tamen debitis juſto cum regimine uſurpatis cum tuſſis tum dolor ceſſit; procul dubio ob fluxum vel maxime reverſum: qvi ipſe etiam tandem cœpit minui, ejusqve indoles emendari, cum ſpe ſanitatis priſtinæ. Porro apud F. HOFFMANNUM (z) „ 40 annorum femina tenerioris & ſenſibilioris „ texturæ, diæta minus ſalubri & incauta „ utens alvo laborabat obſtructa, capitis „ dolore, & præcordiorum tenſione, excernit inſtar albuminis ovi per uterum „ materiam ſingulis menſibus, qvæ procedente tempore coloratior & acrior facta „ eſt. Medicus præmiſſo purgante utitur „ GRAMMANIANA TRa, qvæ ob ♄ni ſaccharum & vitriolum ♂ ſiſtebat hunc fluxum. „ Ab hoc vero tempore ingenti anxietate

(z) Opp. T. 6. Diſſ. de imprud. medicat. mult. morb. & mort. cauſa. §. 41. p. m. 304.

„ præcordiorum, langvore, inqvietudine, „ & dolore lumborum premitur: accipit ſu„ doriferum, & inde univerſum corpus ma„ culis rubris perfunditur; hinc anxietas „ præcordiorum & internus calor ex parte „ minuitur. Qvando corpus frigore exci„ pitur, purpura protinus recedit, & pri„ ſtina ſymptomata revertuntur. Tandem „ uſu bezoardicorum purpura corpus deſe„ rit, & fluor albus revertitur „. Qvam operoſe tamen interdum leucorrhœa revocetur, & poſt qvantas non niſi œconomiæ animalis turbas, documento eſt J. C. ROSTII (*a*) mulier 33 annor. habitus ſeroſi cholerico-ſangvinei, cacochymici, vitæqve ut plurimum ſedentariæ, ac ſangvini mittendo ab aliqvot annis aſſveta; cui leucorrhœa cum menſibus, nunqvam fere æqvales periodos tenentibus, a prima jam eorum eruptione alternans, ſub duplici qvoqve graviditate ac lactatione procedebat: illi vero per $\frac{3}{4}$ anni ſemper deficientes, tantummodo his exactis fluebant. Poſt tertium partum per trimeſtre fere infantem lactanti a vehementi

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 25. A. 1723 Aug. Cl. 4. art. 10. p. 206. ſqq.

terrore menſtrua excretio aliqvatenus apparuit; qvod cum poſt aliqvot hebdomades rurſus accidiſſet, poſtea non amplius. Leucorrhœa interea prorſus ſubſtitit. Qvod ægra cum diutius celaſſet, ac proxime ſecuta pathemata pro fugacibus febrilibus motibus, a ſtomachi vitio oriundis, cujus de ardore, nauſeis, vomituritione, ciborum & carnis præſertim faſtidio, tenſiva cardialgica ad præcordia & dorſum preſſione, laſſitudine artuum, ac cephalalgia &c. ſibi alias inſuetis malis, qverebatur, habuiſſet, data tantummodo incidentia, digeſtiva, & abſtergentia ſpontaneum vomitum cum levamine cauſarunt, ſed non diuturno. Idcirco ablactato infante methodus eadem, interpoſitis eccoproticis, iterata, & ſubjunctis ſtomachicis tonicis amaris emendationem in unam alteramve hebdomadem rurſum attulit. Reverſis autem prioribus malis ad digeſtiva ac reſolventia reditum, & ægra immiſſo faucibus digito ſaburram bilioſo-mucoſam vomuit, cujus longe majorem vim data Ypecacuanha cum ſale Abſinthii per 6 lenes adhuc vomitus elicuit cum euphoria. Nihilominus octiduo ſeqventi emicuit febricula rheumatica cum leni interdum rigore alternoqve calore, pulſu celeri, freqventi, pleno, urina rutila, ſubturbida muci-

mucida parumper, recrementa 🜿reo ſalina formante, oris glutinoſitate, appetitu parco, faſtidio carnium, exigua ſiti, angore cardialgico-ſpaſtico-oppreſſorio, moleſtiſſimo nocturno uſqve in diluculum ardore abdominis in regione uteri, & rheumaticis tenſivis urentibusqve dorſi lumborum ac præſertim femorum in crura pedeſqve uſque doloribus: temperantia, nitroſa, antiſpaſmodica, ♁lia fixa, diaphoretica, temperata alexipharmaca, infuſa diluentia blanda nervina lente efficaciam exerebant, vexantibus tamen vigiliis, inqvietudine multa, & ſub leviſſimo ſomno ſudoribus matutinis erumpentibus. Acceſſit intoleranda fere ſtranguria in iſchuriam abiens, cui opitulabatur emulſio temperans leniens diſcutiens diurético-carminans, cum antiſpaſmodicis. Tandem ex urina ſub motibus febrilibus pergentibus procedente pallida, ſubturbida, cum inſignibus floccis mucidis detectum eſt, leucorrhœam ſubſtitiſſe. Qvapropter data qvotidie vel alternis diebus pilular. balſ. laxantium doſi cum interpolatis temperantibus, ac TRa ♁ii 🜿ſata, nec non Eſſentia rad. Pimpin. alb. non multo poſt cœptum horum uſum qvodam die flatus ex utero cum ſibilo eruperunt, & veſperi maximi conatus dolori-

K

bus partus ſimiles ad eoſdem elidendos aliqvoties oborti ſunt; noctu vero hypogaſtrium intumuit, cum continuo vehementiqve ardore, tubera hic illic formans pugnum magna, at non diuturna. Ægra vel remotis ſtragulis vel extra lectum levamen ſe percipere credebat: cumqve enemata recuſaret, inſiſtebatur priorum remediorum in & externorum uſui; unde omnia emendari viſa, niſi qvod inſolita debilitas cum tremore artuum, præcipue manuum, iis ſupereſſet. Circa 14 hujus medelæ diem initia revertentis leucorrhϾæ apparuere, ſimulqve poſt horriduli frigoris lenisqve caloris viciſſitudines, & levia circa umbilicum tormina, vagoſqve paſſim, in primis ad pectus, dolores pungentes, ingruit diarrhœa moderata ſeroſo-mucoſa per 48 horas, cum flatibus copioſis, & levamine, dolorumqve rheumaticorum in lumbis & artubus mitigatione. Hac durante cum ægra micam panis 🜄 imbutam, aromateqve conditam ſtomacho applicuiſſet, atroces continuo in capitis vertice dolores oborti ſunt, remotoqve topico ocyus iterum deſierunt. Leucorrhœam jam melius procedentem febricula rheumatica lenta ad 4 hebdomadas nihilominus comitabatur; ac licet balſamicæ pilulæ interdum interpoſitæ fuere, tamen acerbi ſpaſtico-rheumatici arthritodei

dolores denuo artus invaſerunt cum validis abdominis turbis, crebris nempe ejus inflationibus globoſis conſpicuis, qvæ ſub copioſis flatuum ex utero anoqve exploſionibus evaneſcebant. Enemata demum admiſſa egregie profuere. Sopitis his turbis, intereaqve macula lata roſea in thorace, per tibias vero ac femora innumeris ecthymatibus rubicundis multo cum pruritu & ardore obortis dolores rheumatico - arthritici ſuperiores artus, relictis inferioribus, admodum excruciarunt, nec niſi intra 3 hebdomades diligenti ſub uſu cum. internorum ☿um antiſpaſmodicorum ac temperantium, &c. & infuſi herbæ Arnicæ ver. Bohem cum toto, tum externorum (ſcil. Ωuum nervinor. camphorat. fotuum cum ſacculis nervinis, cerat. de galban. matric. originibus muſculorum applicato, &c.) conqvievere; cum qveis concurrit ſtatus paralytodes & contabeſcentia brachiorum ac manuum, adeo ut ægra nec flectere cubitos, nec manibus vel ori admovere vel tenere qvidqvam poſſet: ſtatuſqve hic ſopitis etiam doloribus diu ſuperfuit. Qvo autem plus declinarunt dolores, eo etiam uberius cum madores tum ſpontanei ſudores largi media nocte procedebant. Cumqve ægra aliqvando toto

corpore ita ſudaret, priſtinus repente motus brachiis manibusqve rediit; verum dum alvum egeſtura lecto ſurgens ſudores hos interturbaret, paralyſis continuo revertit. Sed morbus tamen qvotidie minuebatur, urina citrina fuit cum nubecula alba, pulſus moderatus naturalis. Nunc itaqve neglecta in 20 hebdomadem ſcarificatio adminiſtrata eſt, circa menſium periodos datæ pilulæ balſ. ſuoqve tempore tuſa pedis vena, unde ſangvis ſpiſſus nigricans ſeroſus poſt ℥jv eductas ſponte fluere deſiit. Exhibita MRa e TRa 🜿 acr. Ω C. C. & eſſ. ſuccin. unde euphoria continenter crevit. Somnus & appetentia adfuit, artubusqve ſuperioribus mobilitas, ubi tremor deſiiſſet, pedetentim redivit; ſed velut ante in femoribus, ita nunc a cubito ad digitos uſqve effloruere ecthymata. Sudoribus univerſalibus ſenſim remittentibus tanto uberius manus ſudabant, earumqve in metacarpis ſuper tendinibus extrinſecus nodi gangliformes indolentes emerſere, punctoriiqve interdum dolores trans digitos percipiebantur. Inter hæc procedente ubertim leucorrhœa dabatur MRa ex eſſentia Pimp. alb. Succin. & ſcord. ac TRa ♁ii 🜿ſata, infuſumqve theatum e rad. Chin. Bardan. Vincetox. Sarſæpar. lign. Saſſafr. Gvajac. Sant. citr. cort. Winter. Samb. Ba-

dian. herb. Chamædr. Meliſſ. Serpill. flor. Til. Anthos, Paralyſ. Lavend. Cheir. &c. externe vero contra accedentem inflationem rheumatico-œdematoſam manuum frictiones calidæ, fotus ſicci, ſuffitus nervini, &c. continenter per aliqvot hebdomades adminiſtrabantur, non neglecto pilular. balſ. viſceral. uſu. Ab his catamenia qvoqve priſtinum ad curſum reducta, & ægra prorſus convaluit. Meretur ſane caſus hic tironum & ſtudium & attentionem; qvippe qvi & rarior ſit, & multiplicis doctrinæ.

§. 38.

5. *Solvitur* leucorrhœa varie, nempe mutatione corporis inſigni, vel criſi conſpicua: hinc

a) *Pubertate*, qvo tempore & admirandæ in corpore mutationes accidunt, & graviſſimi ſæpe morbi ob has ipſas mutationes conticeſcunt. „ Nota mihi, ait J. N. „ PECHLINUS (*b*), eſt hiſtoria Ill. virginis, qvæ cum ipſo qvoqve ſeptenario „ experta eſt fluorem album magno vi-

(*b*) Obſ. phyſ. med. L. I. Obſ. 34. p. 82.

„ rium diſpendio, ſed qvæ diuturnitate illa „ in conſvetudinem morbi veniſſe videba„ tur, adeo & omnia remedia & qvaſvis „ reſpuebat molitiones. Nunc ut eſt 17 „ annorum, non vicit tantum adoleſcentiæ „ ſqvallorem, ſed & valitudine per juſtas „ menſium vices corroborata, ſtaturaqve „ & prolixa & qvadrata pares ſuas trium„ phat „.

b) *Conceptu*, ſeu qvod illo corpus magnopere mutetur, ut ex innumeris hiſtoriis medicis facile elucet, ſeu qvod vaſa illa, unde leucorrhœa vera ſcaturiebat, ovulo fœcundo ad fundum uteri affixo, ejusqve placenta naſcente, evadant impervia. SCHEFFERI (*c*) ſane ægrotæ leucorrhœam conceptus ſtitit.

c) *Ptyaliſmo*. J. LANZONI (*d*) mulier „ qvadragenaria . . . diuturno albo „ fluore laborabat, . . . a qvo poſt multa „ remedia fruſtra tentata ſalivatione magna „ ſponte orta protinus liberata eſt „.

d) *Anacatharſi*. Inter ægras Ill. STÖRCKII (*e*) „ qvædam fluore albo la-

(*c*) Vide §. 69.
(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 9. obſ. 140.
(*e*) Ann. med. 2. pag. 210. ſq.

„ borantes corpore erant extenuatæ, & „ tuſſicula ſicca ſimul vexabantur. Decocta „ emollientia, replentia, & MRa (℞. Lap. „ 69. aceti vini aa ℥ſs. Syrup. 5 rad. aper. „ ℥j. ▽æ flor. Samb. Fœnic. aa ℥iij. Ter. „ fol. ♀ri ʒſs. Liq. anod. min. gtt. vj. M. „ S. dentur omni trihorio duo cochlearia), „ his optime conduxerunt. Hac ratione „ & pectori conſulebatur, & illud, qvod „ in vaſis uterinis ſtagnavit, ſolutum eſt, „ & benigno fluore evacuatum, neqve inde „ vires debilitatæ ſunt. Contigit tunc ſæpe, „ ut tuſſi ſputa glutinoſa cum magno leva- „ mine prodierint, & fluxus albus ſenſim „ integre deſierit. Suppono autem hic „ ſemper fluorem album ſimplicem, mitem, „ nulla acrimonia venerea, &c. miſtum „.

e) *Sudore* vel univerſali vel topico. Sic L. G. KLEIN (*f*) „ novit fluorem „ album chronicum per ſudores nocturnos „ fœtidos largiſſimos in femina obeſa per- „ fecte curatum „. Et J. J. SCHLIERBACHII (*g*) „ femina 30 annor. ſangvineo- „ melancholica tempore graviditatis fluore „ albo affligitur; qvi tamen poſtea, cum

(*f*) l. c. tit. fluor albus p. 112.
(*g*) Act. nat. cur. Vol. 8. Obſ. 38. p. 100.

„ ſudor pedum fœtidus accederet, prorſus „ conqvieſcit, & evaneſcit. Interim hic „ ſudor per aliqvod tempus toleratus moleſtiam tantam creabat, ut ejus ſuppreſſionem a Medico efflagitaret; qvi vero „ eandem ſub variis perſvaſionibus in experientia fundatis renuebat. Qvare mulier incommodi hujus pertæſa admodumqve impatiens tandem ad cohibendam illam excretionem ex mulierculaum conſiliis pedum plantis ſupponit „ folia alni, indeqve voti ſui compos redditur. Aſt dicto citius diſparentem pedum ſudorem dein fluor albus excipit „ rurſus. Unde iterum Medicum adit, ac „ fluoris albi ſublationem poſtulat: qvi etiam „ interne adhibitis alexipharmacis & ſuccinatis, interpoſitisqve laxantibus, cum „ externa frictione mediante excutia in „ pedum plantis, feliciter ceſſabat, exſurgente iterum fœtido pedum ſudore, ... „ omnem ſub continuo ſuo ſucceſſu prioris „ affectus recurſum plenarie poſtmodum „ intercipiente „.

f) *Emeſi.* Meminit DEGNERUS (*b*) virginis 48 annorum, qvæ ante octennium

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 28. A. 1724 April. Cl. 4. art. 12. §. 2. p. 429.

in Anglia leucorrhœam tam uberem ac diuturnam eſt adepta, ut ſceleti in modum fuerit emaciata. Cumqve morbo immedicabili a Medicis declarato ad lares paternos reverſura mare conſcendiſſet, in creberrimos vomitus, qvos longior ob adverſos ventos navigatio diuturniores etiam reddiderat, incidit, ſed eo cum fructu, ut cum obitura in navi crederetur; ubi terram attigit, leucorrhœa ſe liberatam obſervaverit, pedetentimqve priſtinam recuperarit ſanitatem.

g) *Diarrhœa.* Narrat P. FORESTUS (*i*) mulierem e leucorrhœa II annorum neglecta cachecticam facie pallidiſſima cadaveroſa, in hydropem incidiſſe; qvi cum a copioſo cereviſiæ Gedanenſis potu oborta alvo admodum fluxa ſubſediſſet, pariter leucorrhœa conqvieſcente, mulier ſui incuria poſt 2. 3ve menſes in hancce iterum, ac paucos poſt annos letalem in hydropem eſt relapſa. Porro P. ROMMELII (*k*) matrona juvenis, gracilis, rite ſemper menſtruans, ac ter partu jam levata, ſemper mox a conceptu uberi leu-

(*i*) l. c. Obſ. 19.
(*k*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. Obſ. 149.

corrhœa, alioqvin ſibi nunqvam conſveta, prehendi ſolebat, qvam exacto menſe ſolvebat ſuperveniens diarrhœa periodica qvovis menſe ſtatis temporibus reverti ad ultimum uſqve geſtationis diem ſolita, cum ſat inſignibus torminibus, per 7. 8ve dies durans & uſqve adeo copioſa, ut a 14 ad 25 egeſtiones qvotidie cauſaret; innoxia tamen, partu ter jam vivaci conſecuto, imo dum prima in graviditate remediis idoneis minuebatur, dyſpnœam aliaqve ſymptomata cauſans, ſibi poſtea fuerit relinqvenda.

HISTORIAE LEUCORRHOEAE PARS II.

DE MEDENDI METHODO LEUCORRHOEAE.

CAPUT I.

SUMMA CURATIONIS CAPITA.

§. 39.

Si ullo uſpiam in morbo ad tria illa pervulgata curationis capita *Indicans*, *Indicationes*, *Indicata*, animus non perfunctorie eſt advertendus, in leucorrhœa ſane id præ pri-

mis obſervare neceſſum eſt; in qva nempe vel minima horum pars prætervifa non medendi modo perturbationem, ſed ipſis qvoqve ægrotis haud exiguum diſcrimen qvandoqve, nec facile reparandum detrimentum, adferre conſvevit. Idcirco non ſine ſumma clinici judicii acie cura omnis tria illa in capita eſt intendenda, ut iis rite cognitis juſta medendi methodus ineatur.

§. 40.

I. INDICANS itaqve eſt ipſa *leucorrhœa* vera rite cognita (*a*), in qva curate diſpiciendum, recensne an inveterata? Continua an intermittens? Simplex an complicata (*b*) ſit? Nihil enim horum, priusqvam medicinam facias, prætereundum eſt. Cognito ita Indicante, enaſcitur

II. INDICATIO *leucorrhœam ſiſtendi* cito, tuto, jucundeqve. Hunc autem ſcopum attingere alioqvin haud eſt integrum, niſi

1. *Cacochymia* (ad qvam omnium primo in curatione reſpiciendum) *tollatur*, ſeu illa univerſum jam invaſit corpus, ſeu

---

(*a*) Vide §§. 19. ſqq. 23 ſqq.

(*b*) Vide §. 2. I. No 2. ſqq.

topica adhuc eſt in utero, ventriculo: id qvod obtinetur

a) *Colluvie eliminata*; etenim „ non „ poſſumus, inqviunt Vratislavienſes Me- „ dici (*c*), non illis ſubſcribere Practicis, „ qvi experientia edocti aſſeverant, nullum „ medicamentum prodeſſe in hoc fluxu, „ niſi corpus probe fuerit expurgatum „.

b) *Digeſtione emendata*, a qva ſola læſa haud raro leucorrhœam naſci dictum eſt (*d*).

2. *Affluxus humorum ad uterum imminuatur*, eorum

a) *Copiam minuendo*; deinde vero

b) *Fluxum* aliorſum *avertendo*, &

c) *Cauſam tollendo*, qvæ eos ad uterum uberius alliciebat, ac fluxum produxerat.

3. *Symptomata* (*e*) morbi mitigentur.

4. *Effectus* (*f*) tollantur.

5. *Recidiva* præcaveatur,

a) Vitatis cauſis procatarcticis.

b) Sublata uteri, corporisqve laxitate, &c.

(*c*) Hiſt. Morb. Vratisl. A. 1700. p. m. 168.
(*d*) Vide §. 12. 53.
(*e*) Vide §. 5.
(*f*) Vide §. 35.

III. INDICATA vero, ope qvorum cuncta hactenus allata obtineri poſſint, per ſeqventia capita experientiæ ductu enumerabuntur.

CAPUT II.

EMETICA.

§. 41.

EMETICA adverſus leucorrhœam perqvam eſſe utilia vel inde colligitur, qvod illam emeſis ſponte oborta in DEGNERI (*g*) puella, deſperatam licet, ex integro ſuſtulerit; neqve etiam ars naturam imitata ſucceſſu hactenus caruit; emetica enim exhibita ſcopo ſaburram primarum viarum abolendi, digeſtionem vitiatam emendandi, humorumqve ab utero avertendi impetum, &c. egregie prodeſſe obſervantur, præſertim ſi iteratis vicibus, monente M. ETTMüLLERO (*h*), præbeantur, v. g. qvavis hebdomade, vel bis minimum qvolibet menſe, ſvaſoribus B. SILVATICO (*i*) & R. a FON-

(*g*) Vide §. 38. f).
(*h*) Opp. T. 2. P. 1. p. 591.
(*i*) l. c. Cent. 4. No 23.

SECA (*k*). In primis autem hic ab experientia laudem tulere

§. 42.

1. *Ypecacuanha*, mitiſſimum omnium emeticum, de qva R. MEAD (*l*) „ vomi„ tum igitur, (ait) plerumqve primo ciere „ oportet, *vino* præſertim *ypecacoanhæ*„. Et J. P. ALBRECHTUS (*m*) „ haud ita pri„ dem (inqvit) in pertinaci fluore albo, qvo „ femina qvædam nullam ex aliis medica„ mentis perſentiſcens opem diu enervata „ erat, tres ejusdem (Ypecac.) doſes me „ ſvaſore exhibitas optime profuiſſe teſtari „ poſſum „.

2. *Aſari* radix, qvam hic ſpecifice convenire M. ETTMÜLLERUS (*n*) notat, forte qvod potenter ſimul humores lentos, præſente cachexia vel indigeſtione, incidat ac fundat. Mitius etiam pulvere rad. Aſari eſt *electuarium diaſarum* FERNELII (*o*) a ℥iij

(*k*) ll. cc.
(*l*) Monit. & præc. med. C. 19. S. 3. p. m. 139.
(*m*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 9. obſ. 9 ſub finem.
(*n*) l. c.
(*o*) Meth. med. L. 7. C. de purgantib. p. m. 135.

ad ℥ſs e jure pulli, vino, mulſa, vel ▽a hordei exhibitum, qvod remedium, teſte Auctore „ omnis generis humores... vomitio„ne ducit, non continuato ſed ex inter„vallis facto impetu, ſeni atqve prægnan„ti tutum ac facile „. De eodem etiam R. a FONSECA (*p*) „ placidum... eſt vo„mitorium (ait), ſine ullo labore per ſupe„riora educit humores poſt 3 vel 4 ho„ras „: & „ qvod vel in iis, qvi maxime „a vomitu alieni, non infelici ſucceſſu ſæ„pius ſum expertus „ inqvit B. SILVATICUS (*q*). Paratur hunc in modum:

℞. Syr. Menthæ
— Violar. aa ℥viij. Coqv. in mellis craſſitiem; ſub finem ſubducto igne inſperge
Rad. Peponis arefactæ
Sem. Raphani &
— Urticæ maceratorum in ▽a roſarum, arefactor. & tritor. aa. ℥j.
Rad. Aſari contritæ & cretæ ʒij
Cinnamom.
Sem. Fœnic. aa ʒiij. Confice in elect. liqv.

(*p*) l. c. T. 1 Conſ. 21.
(*q*) l. c.

3.

3. *Vitrum ♁ii ceratum* etiam impenſe ab nonnullis hic fuit commendatum, qvo ſolo GEOFFROI (*r*) leucorrhœam in virgine 18 annor. ſuſtulit; monet tamen uſum ejus in uterinis evacuationibus curandis conſtantem eſſe debere per 15 vel 20 dies, additis etiam cautelis, ut a minima doſi initium fiat, neqve robuſtis ultra 5 grana pro prima doſi præbeatur, poſtmodo vero ſenſim ad gr. 18. 20 aſcendatur, doſi tamen haud prius aucta, qvam a priore conſpicuus ſeqvatur effectus, ne alioqvin hypercatharſis oriatur: porro ut omnia acida vegetabilia (emeticam remedii vim ad perniciem uſqve augentia) ſub ejus uſu vitentur.

CAPUT III.

CATHARTICA.

§. 43.

CATHARTICA perinde tantum ad leucorrhœæ faciunt curationem, dum primas vias a ſaburra vindicando digeſtionem læſam emendant, humoreſqve ab utero aver-

r) Philoſ. Tranſ. Vol. 47 p. 273. ſqq.

tendo fluorem album imminuunt, ut abſqve iis abſoluta mali pertinacioris medela ne ſperari qvidem poſſit, miraculoqve ſit, potuiſſe ſcribere ETTMÜLLERUM (*s*) : „ purgan„ tia ... circumſpecte & rariſſime uſurpan„ da ſunt, qvia parum vel nihil juvant, „ qvin potius fluorem album magis augent; „ auctore enim PLATERO obſervatum fuit, „ qvod purgantibus fluxus talis interdum „ fuerit excitatus, qvæ alias eundem nun„ qvam paſſæ fuerunt „. Si tamen uſpiam opus iis foret, draſtica ſvadet, ut bryoniam, jalappam, colocynthidem, helleborum. Verum enim vero tantum abeſt, ut noxia magis qvam utilia ſint cathartica, & draſtica mitioribus præſtare videantur, ut multo potius utrumqve ſecus obtineat: neqve hic PLATERI opus eſt ſuffragio, ubi aperte natura & experientia tot ſeculorum contrarium tuetur. Sane oborto ſponte alvi fluxu leucorrhœam deſiiſſe alibi (*t*) vidimus; & qvanto cum fructu alvus hocce in morbo arte moveatur, haud pauci oſtendunt caſus. Sic J. G. ERNESTI (*u*) novit femi-

(*s*) l. c.

(*t*) Vide §. 38. g).

(*u*) l. c. Tent. 30 A. 1724 Octob. Cl. 2. art. 3. §. 4 p. 385. ſq.

nam plethoricam 30 annorum viro ſeptuagenario nuptam, menſesqve & regulares & juſto etiam qvandoqve uberiores habentem, & ſimul leucorrhœæ ita obnoxiam, ut eam a fine unius periodi menſtruæ fere ad alterius uſqve recurſum cum alvo ſegni pateretur, qvæ cum nullis eſſet remediis expugnabilis, ſolis catharticis multum identidem imminuebatur. Imo vero cum apud A. E. BÜCHNERUM (*x*) puella leucorrhœæ remedia tum multa tum varia, præter ſola cathartica neglecta, opponens morbum uſqve adeo exaſperaſſet, ut acrimonia vicinas partes erodente vix incedere poſſet, ſumpto tandem infuſo uterino laxante prorſus ac ſine recidiva convaluit. Unde non utilitas modo, verum neceſſitas qvoqve catharticorum hocce in morbo dandorum abunde eluceſcit; & canonis inſtar habendum eſt, *leucorrhœæ curationem a catharticis emeticisqve ordiendam eſſe.* Hoc autem fundamento jacto qværitur porro, *qvoties* & *qvalia* potiſſimum cathartica præbere oporteat?

(*x*) Miſcell. phyſ. med. math. A. 1730 Mart. Cl. 2 art. 3. p. 931. ſq.

§. 44.

Qvoties alvum ducere neceſſum ſit, ſi ad indicationes pauliſper reſpexeris, illico ſuccurret. Cum enim catharticorum efficacitas non modo ea ſit, ut ſaburram primarum viarum educant, digeſtionemqve ita emendent (ad qvod una alterave alvi ductio principio morbi inſtituta ſufficeret utiqve), verum id præ primis utilitatis habeant, ut humorum fluxum ab utero ad inteſtina avertendo ubertatem leucorrhœæ minuant, ſicqve locum ſimul ac tempus remediis laxa uteri vaſa roborantibus exhibendis procurent, cumqve ad id longiore temporis mora opus ſit, haud obſcure colligitur, cathartica in curatione leucorrhœæ crebrius eſſe præbenda, ſi ſucceſſus curationis ſerio intenditur. Multum ſane iteratæ catharſes POTERII (y) matronæ profuere. G. P. NENTERI (z) mulieri qvintum in menſem gravidæ cum a febre epidemica liberatæ ſuperveniſſet leucorrhœa varii coloris ac tam copioſa, ut ſæpius per diem induſia mutare cogeretur, metusqve eſſet, ne fluor ad

(y) Vide hiſtor. 4.

(z) RAULIN l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 10 p. 512.

partum uſqve cum periculo perſiſteret, illum nil niſi 3 vel 4 doſes pilularum STAHLII (*a*) per intervalla datæ ſuſtulere. Perinde S. JACOZII apud L. RIVERIUM (*b*) „ mulier Coſtenſis qvadragenaria laborabat „ a 7 menſibus fluxu muliebri ſeroſo, qvem „ curavit intra 5 ſeptimanas, exhibendo „ ſingulis 8 diebus gr. viij reſinæ Jalappæ... „ Dein recidivæ occaſio ſublata eſt uſu ſe„ qventis opiatæ

℞. Conſ. roſar. antiq. ℥ij
—— abſinth. Pontici ℥j
♁ elect. triaſantali &
—— aromatici roſati aa ʒj
Corall. rubr. ppt. ʒß.
Theriacæ veteris ʒij. cum
Syr. de roſ. ſicc. F. opiata, de

„ qva ſumebat ad magnitudinem avellanæ „ ſingulis diebus hora ſomni per longum „ tempus „. Haud ſecius ægræ GALENI (*c*) 3tio qvoqve die alvus ducebatur. Imo vero non modo ex intervallis alvum ciere, ſed continentem etiam diarrhœam lenem inducere, eſt operæ pretium, id qvod MÜNNI-

(*a*) Vide §. 5. No 10.
(*b*) Obſerv. communic. 8va.
(*c*) Vide hiſtor. 1.

CHII (*d*) mulier eſt experta, & L. RIVERII (*e*) „ mulier qvadragenaria diuturno „ fluore albo laborans poſt multa remedia „ fruſtra tentata ptiſana laxante per menſem integrum ſingulis diebus uſurpata protinus liberata eſt. Hujus autem ptiſanæ „ compoſitio talis fuit:

℞. Sennæ mundatæ ℥j
Sem. Coriandri ppt.
Liqvir. raſæ aa ℥jß
▽æ fontis, in qva Tamarind. ℥iij & ligni Lentiſci ℥j bullierint, cyathum j. Infundantur frigide „ per noctem, & colaturam capiat mane „ duabus horis ante paſtum „. Similem qvoqve caſum narrat RAULIN (*f*): matronæ 22 annor. a partu difficili, lochiis parcius juſto procedentibus, totum hypogaſtrium tenſum admodum dolebat cum febre inſigni. Ter ſecta vena, fotus, & emulſa nitroſa dolores minuebant; corpusqve uteri tactui enormi magnitudine occurrebat: ſed fotibus emulſisqve continuatis, & alvo ope ▽æ Caſſiæ, cujus ad pintam ♀ri emet. gr. j.

(*d*) Vide hiſtor. 6.
(*e*) Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 81.
(*f*) l. c. T. 2 P. 3. S. 1. C. 6 p. 105 ſqq.

identidem adjiciebatur, continenter libera ſervata, omnia ſenſim ſymptomata evanuere, ſolo qvodam fluore albo ſuperſtite, qvi nihilominus etiam ptiſanæ e rad. graminis, borragine, & cichor. ſilv. cum nitro, crebroqve ▽æ Caſſiæ cum ſero lactis paratæ, ac ♀ro emetico, ut prius, acuatæ, uſui ceſſit. Unde ſatis colligitur, qvantæ ad leucorrhœæ curationem efficaciæ ſint cathartica aut iterata aut continuata.

§. 45.

Qvalia porro cathartica in uſum vocare oporteat, vel ex eo qværere ſupervacaneum non eſt, qvod, ut ante dictum, ETTMÜLLERUS draſtica mitioribus prætulerit; ſed cum Cl. hic Auctor multum circa ea ſit hallucinatus, alii multo potius audiendi erunt, qvorum e numero ſane F. HOFFMANNUS (*g*) veteranus Practicus, cum primo omnium loco cathartica danda pronunciaſſet, continuo ſubdit: „ qvod tamen non per remedia valde commoventia ac purgantia, ſed potius per benigna „ & mitiora, qvæ repetita doſi data per

(*g*) l. c. curat. §. 3.

„ epicraſin operantur, debet præſtari „. Præſtantiſſima autem ſemper ea fuiſſe ſunt obſervata, qvæ ſimul aliqvid in ſe virtutis roborantis vel adſtringentis recondunt, & non revellunt modo, evacuantqve, ſed tonum etiam amiſſum vaſis conciliant. Hujus autem proſapiæ ſunt:

1. *Rheum*, qvod pleriqve hic ceteris omnibus anteponunt. Sic R. MEAD (*h*) „ purgantia (inqvit) brevibus intervallis „ data conveniunt, in primis rhabarbarum, „ qvod vel per ſe, adjectis qvibusdam aro- „ maticis, additoqve interdum, ubi res „ poſtulat, ☿rii ſexies ſublimati aliqvanto, „ vel qvod nomine TRæ rhabarbari vinoſæ „ proſtat, freqventer aſſumi poterit „: neqve id immerito; qvandoqvidem teſte F. HOFFMANNO (*i*) „ ex omnibus... laxan- „ tibus in hoc morbo proficuis certe emi- „ nent rhabarbarina, eo qvod præter la- „ xantem etiam blande balſamicam & ama- „ ricantem recondunt virtutem, qvæ aci- „ dum vitioſum corrigit, partesqve ſimul „ dejectas egregie roborat. At vero ne ſe- „ ligatur rhabarbarum leve & carioſum, ſed,

---

(*h*) l. c.
(*i*) l. c.

„ qvod optimum eſt, ſolidum, ſincere (ait) „ moneo „. RÜCKERI (*k*) profecto vetula ſolo rheo ſuam ad leucorrhœam utebatur. Varia autem ei coindicata, de qvibus in conſeqventibus capitibus agetur, jungi poſſunt, in primis vero tonica, at non ſine circumſpectione ac judicio, leniora nempe ac parciora ſub initium & vigente adhuc morbo, eaqve roborantia nervina tantum, & qvæ lentorem humorum frangunt; poſtmodo vero, ubi corpus abunde vacuatum evaſit ſimul purius, efficaciora etiam, ita ut ſub finem adſtringentia ipſa rheo utiliſſime copulentur. Et dum L. RIVERIUS (*l*) monet „ purgantibus qvædam adſtringentia & roborantia eſſe permiſcenda, ne humores commoti verſus uterum magis præcipitentur „ id non aliter, qvam ut diximus, eſt accipiendum. Concinnas admodum iſthunc in finem formulas tironibus F. HOFFMANNUS (*m*) ſuppeditat, e rheo aliisqve coindicatis, tonicis præſertim, combinatas, v. g.

Pulvis : ℞. Rhei optimi ʒ ß
Terr. fol. ♀ri gr. xij. M. D. pro doſi.

(*k*) Vide §. 6.
(*l*) Prax. med. L. 15. C. 4.
(*m*) l. c.

Infuſum: ℞. Rhei optimi ℥vj
Rad. Ariſtol. rot.
—— Zedoariæ
—— Pimpinellæ
Cort. ☉ aa ℥iij.
Sem. Aniſi ſtell.
—— Dauci
Sal. ♀ri aa ℥jſs. M. F. Species
pro vini menſura j.

Pilulæ: ℞. Extr. Rhabarb.
—— Aloes roſatæ
Gumm. Galb.
—— Sandar.
—— Hederæ
Myrrh. elect.
Extr. Ariſtol. rot.
Succini aa ℨj.
Balſ. Peruv. q. ſ. F. e ℈j pil.

No xx. Ubi vero ſub finem adſtringentia indicantur, optime vel myrobalana vel terebinthina vel martialia rheo adjiciuntur. Sic Ill. STÖRCK (*n*) principio morbi MRam incidentem, diureticam, præbebat: „ qvan„ doqve autem (inqvit) integre ſiſti (fluxus) „ hac MRa non potuit, licet multum fue„ rit imminutus, tunc autem ♂is No 63

(*n*) l. c.

(℞. Rhei elect. ℈ij
Mirobal. citr. ℈j
∘°∘ ſtill. Cumin. gtt. j. M. F. ℥
„ pro unica doſi) aliqvoties alterno die datus morbo finem impoſuit „. Apud L. RIVERIUM (*o*) „ Religioſa... correpta eſt „ fluore albo admodum copioſo & moleſto, „ a qvo præpoſtere curata à chirurgo, qvi „ vehementia purgantia ei exhibuerat, affectus ad ſeqventem hyemem productus eſt, „ nec tunc temporis ceſſavit, ſed tantum „ imminutus eſt, & ægra pallida & decolor permanſit. Vere autem inſeqvente „ affectus paulatim in deterius vergebat „ uſqve ad æſtatis initium, qvo tempore „ inappetentia, & febricula laborabat, qvibus interdum tuſſis accedebat, ut metus „ eſſet, ne in tabem incideret. Ei primum „ præſcripſit leve catharticum ex ſenna & „ rhabarbaro, poſtea phlebotomiam, ac „ conſeqventer ptiſanam laxantem per 4 „ dies: poſtea balneum tepidum... per biduum ſeqvens. A balneo correpta eſt „ alvi fluxu, a qvo bene habere videbatur „ primis diebus, poſtea tamen ab eo vires „ infirmiores evadebant, febris interdum

(*o*) Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 46.

„ aderat, & ventriculus inappetentia labo-
„ rabat. Juſſit, ut per 5 vel 6 dies ſume-
„ ret mane rhab. pulv. ℈j cum ſyrupo de
„ Abſinthio Pontico ad boli formam reda-
„ ctum hora una ante prandium. Prima
„ die alvus multum & freqventer dejecit,
„ 2da alvi fluxus omnino cohibitus, & reli-
„ qvis ventriculus valde confirmatus, fe-
„ bricula diſparuit, melius colorata in dies
„ apparebat; ſed inappetentia perſeverabat.
„ Juſſit, ut rhabarbari uſum continuaret ad-
„ huc per 12 dies, ſed non amplius cum
„ ſyrupo, ſed cum terebinth. ʒj in bolum
„ redactum, ad fluorem uteri melius com-
„ peſcendum. Et ſic ab omnibus prædictis
„ affectibus liberata eſt „. Luculentum qvo-
qve hujuſcemodi caſum J. P. BURGGRA-
VIUS (*p*) memoriæ prodidit in hæc verba:
„ mulier 37um ætatis ſuæ annum agens,
„ procera, gracilis, melancholico-choleri-
„ ci temperamenti, plurima tædia diu per-
„ peſſa, aliqvot liberorum mater, pluribus
„ abhinc retro annis diuturnis & atrocibus
„ capitis doloribus vexata, ſed thermarum
„ Wisbadenſium externo & interno uſu ab
„ iisdem liberata, ineunte vere A. 1735 il-

(*p*) Act. nat. cur. Vol. 5. Obſ. 9.

„ lis ipſis denuo & vehementer tentata, ſub
„ Auguſti menſis finem ad idem ſibi exper-
„ tum remedium confugiens, ac circa Se-
„ ptembris medium a thermis redux ſub
„ ipſum in domum ſuam ingreſſum men-
„ ſtrua, juſto tamen termino, prodire ſen-
„ tiebat, qvibus ceſſantibus pituita ſuccede-
„ bat, hujusqve excretio ita ſucceſſive au-
„ gebatur, ut circa finem Septembris præ
„ debilitate decumbere cogeretur, & mihi
„ accerſito exponeret, tantum materiæ pi-
„ tuitoſæ virideſcentis, admodum ſpume-
„ ſcentis fœtentisqve, ac genitalia eroden-
„ tis ex iis effluere, ut non ſolum ob de-
„ bilitatem exinde ortam erigere ſe neqveat,
„ ſed & propterea in ſitu erecto corpus ſer-
„ vare ſibi haud liceat; qvoniam tunc præ-
„ cipitis torrentis inſtar illa pituita prolabe-
„ retur. Totum proinde abdomen ulceris
„ inſtar ſibi dolere, cruciatusqve in nates
„ & femora uſqve extendi, unde ſibi proxi-
„ me, niſi efficaci remedio ſuccurratur,
„ moriendum eſſe cenſeret. Pulſus erat de-
„ bilis & utcunqve celer, ſitiebat multum,
„ cibi vero aut nihil aut parciſſimum adpe-
„ tebat. Ego ex hiſce circumſtantiis caco-
„ chymiam pituitoſo - atrabiliariam uſu ther-
„ marum interno in primis motam, ſed
„ haud emotam, qvin ad uterum potius de-

„ rivatam, colligens... remedium digerens, „ abſtergens, demulcens, atqve ſimul leniter ſtringens... Pulv. rhabarbari leniter „ toſti & ſeminis cardui Mariæ cum therebinthina in pilulas redigendum, harumqve „ ℈j m. & v. ſumendum, ſuperbibendo infuſum ſaturatum ex Galeopſidis foliis & „ floribus paratum præſcribebam. Levari „ inde ſe ſentiebat; unde 4to abhinç die „ aliqvalis revulſionis gratia propter immanes abdominis ulceroſos qvaſi dolores venam in cubito incidi & ſangvinis ℥vj circiter extrahi curavi. Extractus ſangvis „ vix refrixerat, cum levi cruſta inflammatoria tectus appareret: cruciatus abdominis femorumqve multum exinde remittebant; fluor vero pituitoſæ, ſpumoſæ, fœtidæ, virideſcentis acrisqve materiæ continuabat non tamen adeo pleno amplius „ rivo. Ægra uſum pilularum ultra octiduum adhuc continuabat, nunc ter de die „ ℈j earum ſumendo. Excernebat tum & „ per alvum copioſam pituitam; cumqve nihilominus vires qvodammodo redire inciperent, jam paulo validius digerere, evacuare, & partes affectas roborare ſtudebam. Propterea rhabarbari optimi pulv. „ & Succinum alb. ppt. anatica qvantitate „ itidem cum terebinthina in pilulas redigi,

„ & ter de die ad ℈j & ultra ad ʒß aſſumi
„ curabam: tumqve tam per genitalia qvam
„ per anum pluribus diebus ingens nigri,
„ ſpiſſi, feculenti, atrabiliarii, & abomina-
„ bili fœtore moleſti ſangvinis copia, ſed
„ cum ægræ euphoria & notabili levamine,
„ prodibat, ita ut eadem profiteretur, ſu-
„ periorem abdominis partem a ventriculo
„ ad umbilicum uſqve jam prorſus ſanam ſe
„ ſentire. Manifeſtum inde mihi fiebat,
„ multum ſangvinis craſſi, terreſtris, fecu-
„ lenti, a Veteribus non adeo male pro
„ atrabiliario ſive melancholico venditati in
„ hoc corpore collectum, & uſu thermarum
„ Wisbadenſium intrinſeco in vaſa cœliaca,
„ meſeraica, & hypogaſtrica per rationes
„ qvalitatis hujus ſangvinis & ſitus horum
„ vaſorum derivatum fuiſſe, atqve ibidem
„ moleſtiſſime hæſiſſe, nunc vero reſolu-
„ tum & eliminatum eſſe. Per duarum
„ propterea ſeptimanarum decurſum harum
„ pilularum uſui inhærebam, & in dies me-
„ lius ſe habere ægra lætabatur, qvantitas
„ qvoqve dictorum excretorum ſucceſſive
„ minuebatur. Tandem cum diuturnum iſta-
„ rum pilularum uſum averſaretur, liqvoris
„ Terr. fol. ♀ri duplum cum elixirii aperiti-
„ vi CLAUDERI ſimplo remixtum ad gtt.
„ 60 & ultra bis de die ſumere jubebam

„ tamqvam abſterſivum, antiſepticum, &
„ leniter evacuans pharmacum, ſuperbiben-
„ do ſimul ſupra memoratum infuſum. Redi-
„ erunt interea legitime menſtrua; hiſce
„ vero ceſſantibus fluor ille pituitoſus non-
„ nihil recrudeſcebat, qvo tamen non ob-
„ ſtante ægra jam multo vegetior conſveta
„ ſua munia iterum obibat. Cum vero poſt-
„ modum ſolito plus ciborum appeteret, &
„ ingereret, ac tumorem molliſſimum, gra-
„ cilem, farciminis inſtar longum, totum
„ abdomen per hypochondria ambientem,
„ cum aliqva ipſius abdominis intumeſcen-
„ tia, ſentiret, ad ulterius expedienda pa-
„ riter & roboranda vaſa & viſcera abdo-
„ minalia TRæ *vitrioli* ♂tis ☿ſatæ ſimplum
„ & TRæ Rhabarbari ac ſyrupi Artemiſiæ
„ ana duplum præſcribebam, ut m. & v.
„ cochl. j. ſumeretur; cujus uſu primo ſta-
„ tim die manifeſto, aliisqve præſentibus
„ id coram obſervantibus, abdomen ſubſi-
„ dere, & ægra tandem continuato ejus
„ uſu cum ſanitate in gratiam perfecte
„ redire cœpit„.

2. ▽æ *ſoteriæ cathartica* ſimulqve leni-
ter ♂les, cujusmodi eſt aqva thermarum Ca-
rolinarum, cui teſte D. BECHERO (q) fer-

(q) Abhandl. vom Carlsbade.

rum

rum ineſt, & cujus legitimus potus leucorrhœam ſæpenumero profligavit. Sic J. C. TILLINGII (*r*) „puella optima, annorum 14, vivida ſatis, ingeniiqve præcocis, patiebatur excretionem albicantem, menſtrua periodo recurrentem, cum nauſea, cardialgia, & vomitu freqventi; qvibus tamen ſymptomatibus commiſſi circa diætam errores ſæpius anſam dabant. Interim Carolinarum uſus repetitus ſaniſſimam reddebat ægram animo & corpore præſtantiſſimam „. Perinde refert SCHEIDEMANTEL (*s*) feminæ, cui per qvam parce menſtruanti ante & poſt catamenia mucus albus profluebat, ab uſu Brückenavienſis aqvæ optimum fuiſſe allatum auxilium.

(*r*) l. c.

(*s*) Kurze Nachricht von dem Nutzen und Gebrauch der im Fulda zu Brückenau und Wernarz gelegenen Mineralbrunnen p. 114.

CAPUT IV.

DIURETICA.

§. 46.

DIURETICA qvoqve ad leucorrhœæ curationem perſæpe egregie faciunt, dum acre dilutum evacuant, & humorum fluxum ab utero ad veſicam urinariam avertunt, qvem eorum effectum ipſe jam GALENUS (*t*), illiusqve ſectatores (*u*) ab experientia commendarunt. Hinc etiam Vratiſlavienſes Medici (*x*) de recta huic morbo medendi ratione agentes „ nec abhorruimus „ (ajunt) a diureticis, memores illius „ SWALVIANI axiomatis: *uterus albo* „ *fluore fœtens diureſi mirifice mundificatur.* „ Eo autem fere ſcopo dedimus ſuccinata, „ ut & terebinthinata; nec laude ſua de„ fraudanda ſunt decocta pituitam & ſerum „ per urinas evacuantia, qvæ SYLVIO in „ crebriori uſu fuerunt „. Duplicis autem generis diuretica hic locum habent, nempe

(*t*) Vide hiſtor. 1.
(*u*) FOREST. l. c. Schol. ad Obſ. 21.
(*x*) Hiſt. morb. Vratisl. A. 1700 p. m. 168.

§. 47.

1. *Abſtergentia* incidentia, initio maxime morbi, qvamdiu uterus eſt ſordidus, ulcerato ſimilis, & vaſa ejus humore lento viſcido turgent; tunc enim hujusmodi remedia lentum incidendo, vaſa ſtimulando humores ab utero ad veſicam traducendo, ad ulteriorem curationem viam ſternunt. Sunt autem illa præprimis ſalia vel media vel alcalina in debito vehiculo exhibita. Hunc in uſum familiaris erat STÖRCKIO (*y*) ſeqvens MRa:

℞. Lap. 69
Acet. vini aa. ℥ß
Syr. 5 rad. aper. ℥j.
▽æ fl. Sambuc.
Fœniculi aa ℥iij
Terræ fol. ♀ ʒß
Liq. anod. min. gtt. vj. M. D.

omni trihorio cochl. ij. „Sub initium (inqvit Auctor) fluor inde augebatur, & major materiei albæ glutinoſæ copia effluxit; poſthac vero materies longe tenuior & parcior prodiit, & ſola hac MRa aliqvamdiu continuata fluor qvandoqve pe-

(*y*) l. c.

„ nitus ſiſtebatur „. Præprimis vero hic ▽æ *ſoteriæ* ſale medio vel alcalino imbutæ conducunt, qvæ affatim hauſtæ ſæpenumero contumaciſſimas leucorrhœas percurarunt. Sic J. STORCHII (z) mulier 30 annis major, & leucorrhœam aliqvot annos uberem paſſa, ab anno menſes etiam nimios cum grumis ſangvinis prodeuntibus qverebatur, qveis iterum imminutis illa evaſit copioſior, cum anorexia, abdominis artuumqve inferiorum doloribus, ac tanta debilitate, ut ægra vix incedere poſſet. A variis uſurpatis levata, at non percurata, Selteranum tandem ad fontem concedens maximo inde cum fructu revertit.

§. 48.

2. *Roborantia*, qvæ evacuando ac revellendo ab utero hujus vaſis ſimul amiſſum tonum pedetentim reſtituunt; cujusmodi ſunt

a) *Daucus*, ſiqvidem S. PAULLI (*a*) „ norit muliebri experimento, qvandam ſo„ lius Dauci herbæ ... decocto, in qvo ʒj

(*z*) Obſ. clinic. ann. 8. April. Cl. 2. p. 435.
(*a*) Qvadrip. botan. Cl. 3. ut. Filipendula p. 332.

„ pulv. rad. Filipendulæ ſibi ipſi propinarat,
„ a profluvio albo muliebri paucis interce-
„ dentibus diebus vindicatam, qvæ incaſſum
„ aliqvot ampullas electuariorum in eum fi-
„ nem præparatorum faſtidioſe abſumpſerat „.

b) *Juniperi* grana. „Soror hoſpitis mei,
„ inqvit H. REUSNERUS (*b*), . . . fluxu
„ albo jam aliqvot annis conflictata hac ra-
„ tione convaluit: accipiebat cineres ſar-
„ mentorum vitium, & aqvæ injiciens pe-
„ des fomentabat veſperi immediate ante-
„ qvam cubitum iret, primoqve die deglu-
„ tiebat grana Juniperi iij. altero v. tertio
„ vij. ſemenqve præterea urticæ adſu-
„ mebat „.

c) *Dictamni* albi radix. Apud Ill. A. de STÜRCK (*c*) „ femina 27 annor. fluore al-
„ bo jam multum inveterato laboravit, &
„ conqverebatur de magna & dolenti tenſio-
„ ne in toto hypogaſtrio, menſtrua habuit
„ pauca & admodum irregularia. Sumpſit
„ mane gr. xx pulv. rad. dictamni albi, &
„ totidem veſperi. Mox fluor albus auge-
„ batur, & copioſum urinæ ſtillicidium or-

(*b*) In G. H. WELSCHII ſylloge curat. & obſ. Cent. 5. Obſ. 103.

(*c*) Libell. de flammula Jovis Cap. 2. caſ. 9. p. 47. ſq.

„ tum eſt cum moleſto teneſmo. Poſt ali-
„ qvot dies ceſſavit teneſmus, manſit au-
„ tem copioſus fluor albus, & materies fie-
„ bat acrior, & eroſit pudendorum labia:
„ ardor inde ortus mitigabatur lacte & aqva
„ tepida, qvibus partes affectæ ſæpius ablu-
„ tæ ſunt. Continuatum fuit idem reme-
„ dium, & ſenſim ceſſavit fluor albus, &
„ ægra in hypogaſtrio nullam amplius mo-
„ leſtiam percepit; menſes autem in melio-
„ rem ordinem redigi non potuerunt „.

d) *Balſama* deniqve nativa, qvæ non modo inſigni virtute diuretica, ſed roborante etiam & adſtringente gaudent adeo, ut eorum in uſu prudentia ſit opus haud vulgari, nec ſine compluribus cautelis illa præbere oporteat; nempe 1mo corpus ante probe ſit purgatum, 2do a parca doſi eorum uſus inchoandus, 3tio catharticis tutiſſime copulantur, &c. Hoc tamen præ aliis habent ſingulare, qvod cum ſimul vulneraria ſint & antiſeptica, ad præſentem uteri exulcerationem (*d*) ſanandam, putresqve humores corrigendos, hic apprime ſerviant. Qvid balſama hæc (in primis terebinthina) rheo aliisve catharticis unita efficaciæ adverſus leu-

(*d*) Vide §. 35. B. c).

corrhœam exſerant, ſuperius (*e*) jam vidimus: nunc etiam, qvid ſola poſſint, per obſervata docemur. V. RIEDLINI (*f*) „ matrona . . . 38 annor. ante bimeſtre fere catarrho ad nares tam vehementi correpta „ fuit, ut ſero continuo ex iisdem deſtillante emunctoriis excipiendo omne fere „ tempus terere opus habuerit adeo qvidem, „ ut noctu obdormire vix potuerit, dum „ nempe decumbenti ſerum tanto cum impetu in pectus ruit, ut niſi ſedulo ſibi „ conſuluiſſet, vix ſuffocationis periculum „ avertere potuiſſet. Sicuti vero jam olim „ maſtiches grana haud abſqve fructu in „ hoc malo deglutierat, ita & nunc votis „ ejusdem ſic ſatisfecere, ut vix bis terve „ iisdem in uſum ductis omnis catarrhus ad „ has qvidem partes ceſſaverit; verum enim „ vero immediate eidem ſucceſſit fluor albus, qvi non ſolum partes genitales inundavit, ſed & acredine ſua ſic læſit, ut „ ob dolorem ſubſeqventem conſilio medico „ opus habuerit, qvod cum . . . petiiſſet, „ ipſametqve priori catarrho adhuc inſtante pilulas Francof. ſumpſiſſet, cetera . . .

(*e*) Vide §. 45. No 1.
(*f*) Curar. medic. millenar. No 404. p. 241.

M 4

„ optime valentem alio purgante opus non „ habere judicans, Ωus *Therebinthinæ* uſum „ ipſi commendavit, qvem eo lubentius, ut „ ut palato minus gratum, in uſum duxit, „ qvia & olim jam profuiſſe meminerat, nec „ fruſtra; vix enim per triduum continuato „ ejusdem uſu ita hic qvoqve fluxus inhibi- „ tus fuit, ut alio medicamento non ha- „ buerit opus... Omnino vero laudem in „ hoc malo meretur memoratus Ωus, qvem „ qvippe, niſi altiores ſubſint cauſæ, raro „ hactenus ſe fruſtra commendaſſe meminit „ Cl. Auctor. Ejusdem efficaciæ eſt *balſamus Peruvianus*, qvem idem hic Auctor (g) „ in „ albo mulierum fluore raro fruſtra... in „ uſum ductum meminit „. Idem etiam præſtat *Opobalſamum*, qvod ab ipſo eodem Practico (h) „ præcipue in fluore albo ma- „ gno cum fructu aliqvoties exhibitum fuit, „ ita ut brevi non ſemel malum ſat diutur- „ num poſt diligentem ejusdem uſum ceſſa- „ rit. Exhibeo autem (ait ille) ejusdem m. „ & v. 7 vel 8 guttas cum vino malvatico, „ cum qvo facilius, qvam ullo alio vehicu- „ lo, ſumitur „. Nec minoris eſt energiæ

(g) Lin. med. ann. 1. Auguſt. 31 p. 267.
(h) Ibidem Junii 15 p. 172.

balſamus Copaivæ, qvi proinde cum vilioris ſit præ Opobalſamo pretii, huic magno ægrorum commodo ſurrogari poteſt. De hoc ita v. RIEDLINUS (*i*): „ mulier (inqvit) „ ... 38 annor. cum jam ſæpius gravida „ ſemper tum præſertim temporis a fluore „ albo non parum moleſtiæ pateretur, in „ hoc qvidem malo egregium levamen per- „ cepit, qvando aliqvoties Opobalſamum, „ qvod ſub veri nomine venditur, ſumpſit; „ qvod tamen qvia hac ipſa de cauſa in non „ exiguo pretio divenditur, nimis pretio- „ ſum ipſi videbatur: unde me, ut reme- „ dium, qvod cum hoc viribus qvidem re- „ ſpondeat, at paucioribus nummis compa- „ rari poſſit, rogavit; & ego Ωum There- „ binthinæ commendavi, qvem idem plane „ præſtitiſſe, aliqvoties tum hæc teſtata fuit, „ tum aliæ plures notarunt. Accidit vero „ forte fortuna, qvod dono accepit Ωum „ talem ex Tirolenſi Comitatu allatum, „ qvem cum nuper denuo gravida priori „ malo non parum vexaretur, aliqvoties „ in uſum duxit. Licet autem denuo etiam „ ſcopum ſuum obtinuerit, qvod nempe „ fluor albus plane inhibitus fuit; ſucceſſit

(*i*) Curar. medic. millenar. No 572. p. 354.

„ tamen malum hoc ipſo magis moleſtum,
„ dum nempe vix 3tio menſe gravida tan-
„ tum non continuo ad urinam excernen-
„ dam ſtimulata fuit, & ejusdem etiam ma-
„ jorem ac alias qvantitatem excrevit: unde
„ jam omnis hic Ωus eidem ſuſpectus eſſe
„ cœpit, & redeunte fluore albo an non
„ aliud ſubſtitui poſſit balſamum minoris
„ pretii? me interrogavit, commodeqve
„ mihi in mentem venit balſamum, qvod
„ de Copaiba nominant, ... unde hoc ei-
„ dem præſcripſi, nec ſpe mea vel minimum
„ falſus fui; ſicut enim idem omninò, qvod
„ olim Opobalſamum, præſtitit, ita urinam
„ illud nimium non moviſſe ... gaudens
„ retulit „.

CAPUT V.

DIAPHORETICA.

§. 49.

DIAPHORETICA porro *utrum*, *qvalia*, *qvando* ad leucorrhœam profligandam faciant, diſpiciendum venit. Ac primum qvidem de utilitate illorum nihil eſt, qvod nos ambiguos teneat; nam 1mo maſſam humorum a ſuperflua aqva vindicant, eam per cutis po-

ros exigendo, 2do motum humorum ab utero ad peripheriam corporis avertendo leucorrhœam imminuunt; 3tio ſunt etiam diaphoretica, qvæ ſangvinem ab acrimonia depurant, ulcera ſiccant, tonum laxis vaſis reſtaurant, &c. Proinde cum omnia hæc in curatione leucorrhœæ non raro indicentur, ſatis liqvet, diaphoretica non utilia modo, ſed neceſſaria etiam ſæpenumero eſſe; docuitqve rerum uſus, contumaciſſimas ad alia qvæqve remedia leucorrhœas ſolis demum ceſſiſſe diaphoreticis. *Qvalia* autem præ primis in uſum vocare oporteat, eadem nos magiſtra experientia jam dudum edocuit; enim vero ex omni diaphoreticorum penu nulla propemodum ſunt, qvæ omnibus paulo ante memoratis indicationibus ita facere ſatis poſſent, ac decocta, infuſa, ſpiritusve radicum, corticum, & lignorum Americanorum, ut eſt ebenum, gvajacum, ſaſſafras, ſarſaparilla, &c. qvippe qvæ in ſyphilitico etiam malo operæ pretium faciant, velut in SCHAARSCHMIDTII (*k*) ægra videre eſt. *Qvando* vero ad exhibitionem transeundum? Tum videlicet, ubi vaſa prius depleta, materiaqve morbi variis viis magna pro parte e

---

(*k*) Vide §. 33.

corpore educta, reſiduumqve ejus ſubactum & attenuatum, omnisqve jam abeſt metus, ne turgens cacochymicus humor, commotus, minimisqve impactus vaſis majora producat mala, qvemadmodum ex præmaturo id genus diaphoreticorum corporibus admodum impuris exhibitorum uſu accidiſſe eſt obſervatum. Hinc recte N. A. FRAMBESARIUS (*l*) de leucorrhœa agens „ ad reliqvias „ (ait) per ſudorem diſcutiendas & corpus œ„ dematoſum ſiccandum nihil præſtantius eſt „ decocto ligni ſancti per aliqvot dies mane „ hauſto „. In eandem fere ſententiam loqvitur F. HOFFMANNUS (*m*) „ qvandocun„ qve (inqviens) feminæ ſcorbuticæ, imo „ venereæ, vel qvæ crebrius purpuram ru„ bram patiuntur, hac fluxione pernicioſa „ corripiuntur, abſtinendum omnino eſt a „ calidioribus purgantibus & balneis; ſed „ mitiſſime ſunt primis temporibus tractandæ „ diaphoreticis fixioribus, & ejusmodi me„ dicamentis, qvæ corruptioni lymphæ ma„ xime obſiſtunt. Ego igitur tali in caſu „ cum fructu adhibui pulverem noſtrum be„ zoardicum cum uno alterove ſulphuris „ ♁ii noſtri grano maritatum, atqve ſimul

(*l*) Canon. & conſ. med. conſ. 2.
(*m*) l. c. cautel. §. 8.

„ decoctum præſcripſi, qvod ſolet in lue „ venerea ex lignis & radicibus ſangvinem „ depurantibus, addito ♁io crudo, compa- „ rari. Et ſi corpus per menſem & ultra „ ita fuerit præparatum, interna pariter ac „ externa cum meliori fructu pro ſanatione „ poſſunt adhiberi„. Omnibus hactenus de uſu diaphoreticorum, in primis vero e lignis, corticibus, radicibusqve Americanis paratorum, dictis bina luculenta exempla fidem conciliabunt. H. C. WINTER (*n*) narrat feminam ad 26 annos natam ad leucorrhœam ſimplicem diu varia necqvidqvam uſurpaſſe, fluxumqve multo potius acrem evaſiſſe dolentemqve; poſtea vero qvam per 14 dies decoctum ligni ſancti cum ſarſaparilla, ſaſſafras, herbis antiſcorb. & paſſulis, nec non ♁iata cum interpoſitis pilulis catharticis ☿libus, aliqvamdiu ſumpſiſſet, prorſus convaluiſſe. ZACUTUS (*o*) qvoqve feminæ meminit, leucorrhœam cum immani demum cephalæa ex intervallis vexante, abdominisqve ac faciei inflatione, paſſæ, qvæ variis evacuantibus fruſtra oppugnata lentam acci-

(*n*) Annal. Vratisl. Tent. 32 A. 1725 Maji Cl. 2. art. 3. §. 3. p. 490. ſq.

(*o*) Prax. admir. L. 2. Obſ. 89.

vit febrem cum macie. At viribus victu roborantiumqve uſu erectis, leniqve diureſi præmiſſa, exhibitum ebeni decoctum feminam priſtinæ reddidit valetudini, recidivamqve præcavit victus exſiccans, potus decocti rad. chinæ, remedia roborantia, & ſonticulus in crure excitatus. Multum qvoqve remedia hæc diaphoretica cum puellæ NESTERI (*p*) tum GASSERI (*q*) matronæ profuiſſe cenſenda ſunt.

CAPUT VI.

SIALAGOGA.

§. 50.

SIALAGOGA, ac præſertim ☿lia, utrum unqvam adverſus leucorrhœam in ſubſidium vocare oporteat, haud abs re qværi poteſt; nam cum LANZONI mulier (*r*) ptyaliſmo a diuturna leucorrhœa fuerit liberata, neqve abſonum cuiqvam viſum ſit, ſalutares naturæ conatus arte imitari, forte

(*p*) Vide §. 61. a).
(*q*) Vide §. 62. a).
(*r*) Vide §. 38. c).

non ſine ſucceſſu periculum rei fieri poſſet, mirumqve eſt, a nemine, qvod ſciam, factum hactenus fuiſſe, poſteaqvam in omnibus pene aliis contumacibus morbis ☿ii vires experiri jam libuit. Huc & illud accedit, qvod ipſa etiam analogia ad id invitet; nam qvemadmodum ceteræ per alvum, lotium, ſudoremqve vacuationes, qvod humorum vim ab uteri vaſis avertant, ad leucorrhœam percurandam plurimum faciunt, idqve eo etiam efficacius, qvo ad remotiora ab utero loca humores traducuntur: ita ſane ☿li ptyaliſmo inducto humores ab utero ad ſalivales glandulas deductum iri ſpes non inanis eſt; præſertim cum leucorrhœa ſit vacuatio lymphatica, ſeroſa, mucoſa, & ſæpe etiam catarrhalis proſapiæ, qvod utrumqve materiæ hujus (niſi jam purulenti qvid ſimul ſubſit) ad vaſa ſalivalia traducendæ facilitatem pollicetur. Sed tentamina hæc iis relinqvo, qvibus crebrius pertinaces leucorrhœæ occurrunt tractandæ. Ubi autem fluor albus veneream ſimul præ ſe fert labem, ibi ☿ii utilitatem nemo profecto hactenus prætervidit. Non eſt hic L. HEISTERI (*s*) de leucorrhœa ptyaliſmo ☿li

---

(*s*) Medic. chir. u. anat. Wahrnehm. 2. Band. No. 143.

perſanata reticendus caſus, qvæ ſi venerea fuit, poſterius dicta confirmat; ſin minus, qvod longe eſt veri ſimilius (nam etſi glandem viri in coitu ob acrimoniam læſerit, nihilominus nec gonorrhœam nec aliud ſyphiliticum ſymptoma conſciviſſe memoratur), tunc maximo eſt argumento, leucorrhœas etiam non venereas ☿li ſalivatione percurari poſſe. Nimirum nobilis matrona 26 annor. leucorrhœam aliqvot ab annis patiebatur uſqve adeo acrem & dolorificam cum continuo ſpinæ dorſi dolore, ut & ipſa inde excoriaretur, & viri glandem in coitu rubore cum puſtulis, velut ex ambuſtione, afficeret. Experiebatur etiam ſæpius & colicos dolores & aliqvot dierum diarrhœam ad 18 dejectiones qvotidie cauſantem: unde vires admodum dejici ſentiebat, & ſterilis evaſit. Variorum propterea cum medicorum tum chirurgorum operam, at fruſtra, experta, demum ex Auctoris conſilio 9na Januar. 1735 ſeqventibus uti cœpit:

1) ℞. Extr. panchym. CROLL.
☿ dulc. rit. ppt. aa. gr. jv.
Reſin. Jalapp. opt. trit. gr. ij.
Eſſent. lign. q. ſ. F. pil. gr. j.
D. pro doſi.

2) ℞. Sulph. ⊙ ♁ ult. præcip.
☿ dulc. aa. ʒß

Extr.

Extr. lign. Saſſafr. ʒj

Eſſent. balſ. Copaiv. q. ſ. F. pilulæ No. 30. Conſperg. cinnab. Sumat qvotidie ante ſomnum No. j.

3) ℞. Raſ. lign. Guajac. ℥ß

— — Saſſafr.

Rad. Sarſapar.

— Chinæ aa ℥j. Conc. gr. modo D. pro infuſo bis qvotidie ad 4 vaſcula hauriendo.

4) ℞. Eſſ. Succin. ℥ß

TRæ ♂ii ♀ſat. ʒij. M. S. gtt. 35 ſemper cum potu theato No. 3. Diæta qvoqve idonea eſt imperata. Tandem 20 Januar. injectiones in uterum fieri cœptæ, nempe:

℞. ▽æ Calc. vivæ ℔ j.

☿ dulc. ℈j. M.

Ab hoc remedio 1ma mox die levamen ſenſit; dolores inde mitigati, & loca excoriata ulcerataqve ad ſanationem venere, poſteaqvam præſcripta ▽æ qvantitas bis abſumpta eſt. Et ultimis tribus pilulis (No. 2) die 30 Januar. aſſumptis ptyaliſmus uberius proceſſit, genis faucibusqve tumentibus. His ita pro re nata ad finem uſqve Februarii procuratis ſaliva jam ſpiſſa jam limpida leniter fluebat, multo ſimul per uterum jam acri jam blando muco, at citra ullum malum

ſymptoma, prodeunte, donec 14ta Maji curatione abſoluta ægra ſana domum reverſa eſt.

CAPUT VII.

INVISCANTIA.

§. 51.

INVISCANTIA etiam neſcio a qvo primum in curatione leucorrhœæ tentari cœpta, nec pœnitendo ſucceſſu. Sic AMATUS (t) „ *album ovi* aqva roſacea concuſ-
„ ſum (ait), jejuno ſtomacho ebibitum,
„ non ſolum ad album fluorem facere, ſed
„ gonorrhœam ſanare, ſatis ſumus experti,
„ ex qvo albo fluore ſocrus PETRUSII
„ Bergomatis annos nata 50 ſanata eſt:
„ veluti mulier Veneta, qvæ ad hortorum
„ portam habitabat; ſed hæc maſtichis pa-
„ rum in albo ovi ponebat. Plures vero
„ alias ex *ſemine cydoneorum* in jure de-
„ glutito ſanatas obſervavimus „. Forte hæc remedia, ſi primis in viis acrimonia

(t) Curat. medic. Cent. 4. cur. 12.

qvædam digeſtionem turbat adeo, ut hæc potius, qvam illa, leucorrhœam cauſet, ad ſtimulum ejus enervandum, ſicqve digeſtionem reſtituendam, qva reparata morbus deſinere conſvevit (*u*), plurimum conferunt. Forte etiam tenui aqvoſoqve ſangvini plaſticitatem conciliando aliqvid præſtant.

CAPUT VIII.

ROBORANTIA.

§. 52.

ROBORANTIA deniqve tam ſunt ad curandam leucorrhœam neceſſaria, ut ſine eorum adminiculo morbus, citra recidivæ ſaltem metum, raro unqvam plane percurari qveat. Nam cum leucorrhœa anaſtomoſi vaſorum juſto laxiorum (*x*) debeatur, niſi laxitas hæc tollatur, priſtinuſqve vaſis reddatur tonus, leucorrhœa aut nullis cedet aliud agentibus remediis, aut certe, ubi aliqvamdiu ſubſtiterit, ex facili poſtliminio

(*u*) Vide §. 53.
(*x*) Vide §. 19.

revertetur. Cumqve laxitas vaſorum uteri aut a ventriculi atonia digeſtionem vitiante, aut a totius corporis imbecillitate (velut in laxis & cachecticis), aut a propriis ſibi cauſis (v. g. partu laborioſo vel hæmorrhagia, &c. prægreſſis) ortum ducat, facile patet, qvot titulis neceſſaria ſint, & qvem potiſſimum ex illorum claſſe delectum dato in caſu facere oporteat. Et cum primo qvoqve tempore laxitas dicta ſit abolenda, illud qvoqve ſuapte conſeqvitur, roborantibus remediis omni morbi tempore locum eſſe, ita tamen, ut per initia vacuantibus jungantur, ſub finem vero ſola præbeantur; atqve ſic accipiendus eſt L. RIVERIUS (y) roborantium uſum ad morbi finem rejiciens. His rite a tirone intellectis roborantia ſuas in claſſes, qvas ipſa morbi varia adjuncta expoſcunt, ſunt diſpeſcenda; hasqve potiſſimum conſtituunt roborantia

§. 53.

1. *Stomachica*, qvæ digeſtionem a ventriculi & inteſtinorum atonia imminutam aut depravatam priſtinæ integritati reſtituunt.

(y) Prax. med. l. c.

Qvantum interſit ſcopum hunc in leucorrhœæ curatione attingere, docent trinæ RAULINI obſervationes, nempe (z) matrona ad 28 annos habens dyſpepſiam a 7 annis cum anorexia, ſtomachi ſenſibilitate ac dolore, poſtmodo vero etiam omnium alimentorum vomitu, paſſa jam inde fere, ex qvo ventriculus male habere cœpit, leucorrhœam qvoqve nacta eſt; qvibus malis ita exhauſta fuit, ut ad extremam maciem ſummamque devenerit debilitatem. Omnibus artis præſidiis incaſſum tentatis demum Auctoris opera ſanata eſt. Paulo poſt ſopitum vomitum prout digeſtio reſtaurabatur, iisdem etiam gradibus cum leucorrhœa tum cetera ſymptomata conqvieſcebant adeo, ut ægra tandem priſtinum corporis habitum animiqve vigorem plena cum ſanitate recuperarit. Alia (*a*) perinde matrona 36 annor. cardialgiæ cum digeſtione turbata, entiſſima, ac ſæpe admodum difficili, obnoxia tantam ſimul crepituum vim ano elidebat, ut totis ſe ſe matutinis temporibus ſæpe in conclavi ab omni conſortio abſtractam tenere debuerit, ob illorum expulſio-

(z) l c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 10. p. 358.
(*a*) Ibidem p. 359.

nem. Huic flatulentiæ non ceſſanti anno poſt digeſtionem vitiatam ſe junxit triennis leucorrhœa, poſt paſtum ſemper, ac vel maxime a lactis, qvo ſæpe è conſvetudine abutebatur, uſu uberius fluens, cujus color cum flavus alias eſſet, a paſtu chyloſus cernebatur. Symptomata eam ſtipantia erant ſtomachi tenſiones, debilitas artuum, inqvies, inſomnia, nauſeæ, digeſtio laborioſa, &c. Verum revertente poſt data remedia appetitu, emendataqve digeſtione, leucorrhœa deſiit, & ægra plane convaluit. Hujuſce mater (*b*) cum ſaniſſima ſexto ac viceſimo ætatis anno nupſiſſet, feliciterqve peperiſſet, aliqvanto poſt ei vitiata digeſtio cauſavit leucorrhœam, hæc vero peſſimos conſeqventes abortus; ſed ventriculo emendato leucorrhœa conqvievit, ac matrona feliciter iterum peperit. Inde qvotiescunqve dyſpepſia oborta eſt, leucorrhœam poſt ſe traxit, qvæ digeſtione reparata denuo ceſſabat. Hinc recte F. HOFFMANNUS, ut ſuperius (*c*) memoratum, inter cauſas leucorrhœæ pertinacis prætervisam a Medicis in curatione ejuſdem dige-

(*b*) Ibidem. p. 360.
(*c*) Vide §. 34.

ſtionem vitiatam ſimul refert. Atqve ex his ſatis & efficacia & neceſſitas roborantium ſtomachicorum elucet. Qvænam autem ad ſtomachicorum claſſem referantur, adeo tironibus qvoqve notum eſt, ut nihil magis. Sunt nihilominus & horum aliqva, qvæ ceteris iſthic palmam præripiunt, v. g.

a) *Mentha.* F. HOFFMANNUS (*d*) „ vidit ſola aqva menthæ ſpirituoſa, decenti uſu, & purgantibus præmiſſis, inveteratas gonorrhœas fluoremqve album „ feliciter ſublata „.

b) *Nux moſchata.* H. REUSNERI (*e*) „ mulier, qvæ integro biennio fluxu albo „ laboraverat, accepit nucem moſchatam, „ ejusqve aſſatæ & diviſæ partem ½ mane, „ alteram ½ veſperi adſumpſit, ſicqve continuando ſanata eſt. Hoc ipſo remedio „ utebatur qvoqve TH. ERASTUS in ſiſtendis menſibus nimiis & fluore albo, „ ceu ſingulari experimento „.

c) *Roſmarinus* M. ETTMÜLLERO (*f*) teſte „ pariter in fluore albo mu-

(*d*) De præſtant. remed. domeſt. §. 16. Opp. T. 5. p. 368.

(*e*) l. c. Obſ. 101.

(*f*) Colleg. pharm. in SCHROEDER. Opp. T. 1. p. 524.

„ lierum egregium ſpecificum eſt, cujus „ decoctum ceu expertum commendatur a „ LINDANO „ (g).

d) *Serpillum.* „ Qvantam præ aliis virtutem lento in muco reſolvendo fibrisqve „ roborandis poſſideat ſerpillum, evincit „ ſæpenumero obſervatum a me, inqvit H. „ F. DELIUS (h), auxilium in leucorrhœa, „ dum qvovis mane potus theati in modum „ uſurpatur „.

e) *Qvaſſiæ* ligni decoctum omnibus ſtomachicis roborantibus longe antecellit, ut plurima hactenus variorum obſervata docuerunt. Radicem qvoqve ejusdem SCHRADERUS (i) adverſus leucorrhœam commendat.

§. 54.

2. *Uterina*, qvæ ſpecifica ſua qvadam vi in uteri præſertim vaſa agere videntur; cujusmodi ſunt multa aromata. Sic „ ſimilem uteri coryzam largiter profluentem „ in puella 7um modo annum ingreſſa, præ-

---

(g) Colleg. ſuper HARTMANNUM.
(h) Fränk. Samml. 6 Band 35 St. 8 art. p. 451. ſq.
(i) Berlin. Samml. 1 Band. 2 St. 3 art. p. 164.

„ miſſo eccoprotico, aromaticis adhibitis „ feliciter ſuſtulit „ G. DETHARDINGIUS (*k*). Interea vero ſunt & alia, nullum manifeſtum aroma prodentia, qvæ efficaciſſime tonum laxis uteri vaſis conciliant. Ex omnibus autem uterinis roborantibus duo hic vel maxime præcellunt, nempe

a) *Uva urſi.* Neſcio qvam planta hæc peculiarem habeat vim ſuam in viſcera cavo pelveos contenta exſerendi. In malis veſicæ mitigandis tollendisqve abunde nota eſt: ſed nec in uterum minus poteſt. „ Inſignem ejus effectum in femina 46 annor. „ leucorrhœa laborante, egomet, ait J. A. „ MURRAY (*l*), expertus ſum. Etenim „ per 6 annos, qvibus vidua vixit, natu„ralis excretio nimis copioſa, & qvod ſe„ceſſit, vel obſcure rubrum craſſumqve, „ vel albidum ſeu viride fœtensqve fuit. „ Jam ultra hebdomadem eodem vitio affe„cta tantum ſangvinis profuderat, ut ad „ canthari menſuram jacturam æſtimaret, „ ceteris memoratis incommodis deniqve ſe „ ſociantibus. Unde diſpendium magnum „ virium & crebra animi deliqvia paſſa eſt.

(*k*) Miſç. nat. cur. Cent. I. append. p. 193.
(*l*) Comment. de arbuto uva urſi Sect. 3. §. 15. p. 59.

„ Habitus corporis evaſit cacochymicus, ap-
„ petitus cibi deletus, ſomnus turbulentus,
„ & tremoribus interruptus. Pilulis purgan-
„ tibus ſemel præmiſſis, 6 doſes pulveris uvæ
„ urſi ℨ dimidiæ illi exhibui, qvarum 2 de die
„ ſumeret. Mirari dein oportuit, qvod
„ adeo cito & tam parva pulveris copia ju-
„ varetur. Nam paulo poſt ceſſaſſe fluxum
„ cibiqve cupiditatem rediiſſe narravit. Co-
„ lor faciei ſanus & ſubrubellus ſimul rediit.
„ Hoc igitur auxilio contenta tum purgan-
„ tis remedii tum uvæ urſi uſum, qvem ſva-
„ ſeram, continuare recuſavit „.

b) *Baſilicum ſilveſtre.* Hanc plantam in Cayenna ubertim provenientem, & ab Ocymo baſilico noſtro non niſi, qvod odoris ſit expers, diſcrepantem BAJON (*m*) ſpecifica leucorrhœam ſanandi vi præditam tuetur; qvam in rem ſeqventia adducit obſervata. Principio A. 1768 (*n*) femina ad 24 annos habens, a bimeſtri vidua, leucorrhœam virideſcentis coloris, conſiſtentia puris, at citra ullum pravum odorem, jam inde a nuptiis per 4 annos, occaſione catameniorum ex illo eodem tempore ſemper ſubſiſtentium,

(*m*) ROUX Journ. de Medec. &c. T. 32. A. 1770. Juin p. 519. ſqq.

(*n*) Ibidem g. 523. ſqq.

adeo uberem patiebatur, ut induſia ſæpiſſime mutare coacta fuerit. Fruſtra huic malo bolis adſtringentibus longiſſimo tempore obviam itum, imo ipſi qvoqve menſes periodis conſvetis triduum fere inſtar exiguæ transudationis cruentæ apparere hucuſqve ſoliti ab illorum uſu fere ſubſtiterant. Cumqve prægreſſa mariti valetudinarii mors labis venereæ uxori communicatæ ſuſpicionem injeciſſet, idcirco huic ægrotæ poſt conſveta remedia idonea præmiſſa adminiſtratæ ſunt frictiones ☿les, at ob debilitatem teneritudinemqve, leves tantum ac magnis ex intervallis ad evitandum ptyaliſmum, intercalatis qvoqve catharticis. Seſqvitertio menſe hæc methodus adhibita morbum nullatenus mutavit. Eapropter imperato regimine convenienti diutiſſime data diluentia leniterqve aperientia, his tonica, ac demum adſtringentia ſuffecta, nihilo plus profecere; neqve melior ſucceſſus fuit tonicorum ac leniter adſtringentium utero injectorum. Unde ægra remediorum pertæſa eorum ulteriorem uſum recuſavit: donec Centurionis DU-CHASSY, cui popularium Cayennæ europiſtorum perqvam gnaro de eximia baſilici ſilveſtris in Cayenna creſcentis ad leucorrhœam abigendam efficacitate plurimum conſtabat, conſilio adducta uſurpato aliqvamdiu

ſucco baſilici dicti expreſſo ad miraculum convaluit, menſibus qvoqve priſtinum ad ordinem reverſis. Lapſo abhinc bimeſtri nupſit denuo, concepit, feliciterqve peperit. Hoc viſo BAJON qvoqve plantam experiri cœpit in matrona 34 annorum leucorrhœam decennem e laborioſo partu nacta, qva occipiente nec menſes amplius habuit, nec concepit. Fluxus erat continuus & adeo copioſus, ut cachecticum cauſarit ſtatum cum ſumma ad hydropem diſpoſitione. Poſt varia incaſſum tentata remedia, Auctor, præmiſſis balneis, ſemicupiis, catharticis, diuturnoqve diluentium cum lenibus aperitivis uſu, præbuit mane qvovis jejunæ ſucci expreſſi baſilici ſilveſtris circ. ℥jß, ac reliqvo diei tempore imperavit infuſi foliorum ſiccorum ejusdem plantæ potum: qvorum ab uſu leucorrhœa ſenſim remittens intra menſem citra ullam vel moleſtiam vel functionum læſionem penitus deſiit, pauloqve inde poſt menſes qvoqve aliqvatenus rediere, ad qvorum priſtinum ſtatum revocandum ulterior infuſi dicti uſus injunctus eſt. Vires ſat cito recuperatæ cum priſtino corporis vigore, ita ut ægra principio anni 1769 optime valuerit. Per idem tempus binis aliis feminis nigritis idem remedium Auctor eodem cum ſucceſſu exhibuit; prior ad 40

annos habens leucorrhœam diuturnam cum ligamentorum uteri relaxatione patiebatur, altera 32 annorum eandem a ſuppreſſis lochiis eſt adepta: ambæ, ex qvo leucorrhœa ingruit, & ſteriles factæ, & catameniis privatæ ſunt. Præmiſſis itaqve generalibus remediis, præbuit Auctor per menſem qvovis mane ſucci dicti ℥ij, a qvo poſterior ægra intra menſem plane convaluit, prior vero nonniſi per 14 adhuc dies continuato remedio; menſes tamen neutri illarum ſunt reverſi.

§. 55.

3. *Vulneraria*, *antiſeptica*, qvæ putredini humorum reſiſtunt, ulcerationes uteri genitaliumqve ſanant, ichorem ſaniemqve corrigunt, ac ſolidis tonum amiſſum reſtituendo corpus roborant, & a recidiva præſervant. Huc in primis pertinent

a) *Cicuta*, qvæ glanduloſos infarctus tollit, ulcera abſtergit, pus emendat, ſangvinem depurat, urinas movet, dolores mitigat, langventesqve fibras leniter excitat. Plantæ hujus uſu leucorrhœam ſæpius fuiſſe profligatam complura teſtantur obſervata. Sic Ill. STÖRCKII (*o*) „femina 48 annorum a

(*o*) Libell. 2. de Cicuta cap. 2. caſ. 14. p. 107.

„ 15 circ. annis fluorem album habuit, & „ qvamvis remedia ab optimis artis ma- „ giſtris præſcripta longiſſimo tempore aſ- „ ſumpſerit, malum tamen aut manſit in eo- „ dem ſtatu, aut in pejus mutatum fuit. „ Dum vidit idem eſſe, ſive adhiberet me- „ dicamenta, ſive ea negligeret (imo ex „ uſu medicamentorum ſubinde debilitata eſt, „ & pejus habuit), mutavit conſilium, & „ morbum ſoli naturæ commiſit. Per 11 an- „ nos fuit ſine remedio, dein vero fluxus „ menſtruus retentus fuit, qvi antehac & „ debito tempore & ſufficienti copia ſem- „ per comparuit. Orti tunc ſunt acutiſſimi „ in utero dolores, & ſimul advertebatur „ continuus ardor, materies effluens antea „ benigna, lenta, mucoſa, nunc tenuis fuit „ & virideſcens, & fœtuit. Multorum me- „ dicorum opem tunc ægra imploravit, ad- „ ivit chirurgos, conſuluit vetulas; aſt me- „ dicamenta potius moleſtiæ qvam levamini „ fuerunt. Miſera ſenſim in peſſimum ſta- „ tum redacta fuit. Dolores & ardores ad- „ erant continui, & hi verſus veſperas „ aucti ſunt. Præter ichorem putridiſſimum „ effluxit ſubinde ſangvis fœtidus, diſſolu- „ tus, & prodierunt fruſta fibroſa corrupta „ ſubnigra. Vagina uteri & vulva ſenſim „ exulceratæ & exeſæ ſunt, & ægra ema-

„ ciata vix ſe erectam potuit ſuſtinere. His „ in miſeriis eam ad noſocomium ſuſcepimus (inqvit Ill. Obſervator). Rogavi Dominum HAFFNER, ut partes genitales, „ qvantum poſſibile eſſet, digitis & oculis „ luſtraret. Invenit tunc vulvam exeſam, „ vaginam exulceratam, & os uteri erat ſat „ durum, dolens, & fortiori preſſione prodiit ſanies. Conſului, ut bis qvotidie injectiones in vaginam fierent ex leni infuſo cicutæ cum pauco melle roſarum & „ ſexta parte lactis: præterea copioſum decoctum involvens demulcens, emolliens „ miſtum cum $\frac{1}{3}$ lactis recentis datum eſt. „ Spatio 6 dierum fœtor multum emendatus „ fuit, & ægra videbatur aliqvantulum reſici. Dedi tunc præter decoctum demulcens extractum cicutæ, & injectiones in „ vaginam fuerunt continuatæ. Omnia ſymptomata ſenſim in melius mutata ſunt; „ ichoris loco tandem effluxit mucus ſubpurulentus, dein nil amplius comparuit: „ & ſpatio 11 ſeptimanarum femina integram „ ſanitatem recuperavit. Ultra ℥ß extracti „ cicutæ non opus fuit dare per diem; qvoniam hæc doſis ſufficienter omni ſymptomati ivit obviam. Ab injectionibus tunc „ ceſſatum eſt, dum incipiebat materies „ benigna comparere; abluta tamen ali-

„ qvoties per diem ſunt pudenda, ne & „ illud benignum intra plicas ſtagnans a- „ crimoniam contraheret „. Perinde (*p*) „ femina 38 annorum jam ultra 10 annos „ fluore albo laboravit, ex ano qvo- „ qve prodiit gluten tenax fœtidum, ibi- „ qve ſentiebatur durities vere ſcirrhoſa, „ qvæ per vices tantos dolores excita- „ vit, ut ægra per plures dies debue- „ rit lecto inhærere, nec potuerit dormi- „ re, qvamvis opiata aſſumpſerit. Mate- „ ries effluens ſenſim acrior fuit reddita, „ & arroſit partes vicinas & linteamina, „ qvibus recipiebatur, inde friabilia fiebant. „ Remedia qvæqve tentata incaſſum erant; „ ægra facta eſt triſtis, melancholica, & „ cœpit contabeſcere. Dum me acceſſit, „ præſcripſi illico cicutæ extractum, qvo „ ſolo remedio 4 menſium ſpatio ſanata „ fuit. Vires nunc bonas habet, appetit, „ dormit; durities circa anum evanuit, „ nec amplius ibi mucus prodiit, nec ullus „ percipitur dolor, alvus qvotidie ſponte „ ſolvitur, qvæ alias erat pertinaciter clau- „ ſa, & non niſi purgante aut enemate

(*p*) Idem libell. de colchic. autumn. rad. append. p. 82. ſqq.

pote-

„ poterat moveri. Debito tempore nunc
„ ſangvis menſtruus fluit, & fluxus albus ſi-
„ let penitus„ Idcirco (*q*) „matronæ nobilio-
„ res hanc herbam juſculo incoqvunt, idqve
„ dein colatum ſæpius per diem bibunt ...
„ Formoſa qvædam matrona acerrimo flu-
„ ore albo a longo tempore vexabatur,
„ duritiem ingentem in ventre habuit, &
„ uteri vagina erat ſcirrhoſis tuberculis ita
„ obſita, ut citra ſummum dolorem vix
„ tenuis cannula potuerit introduci; ete-
„ nim ex minimo attactu hi ſcirrhi vehe-
„ menter dolebant. Uſa eſt ſimili juſcu-
„ lo, & bis terve per diem fiebant lenes
„ ex infuſo cicutæ injectiones in uteri va-
„ ginam. Hoc modo dolores brevi miti-
„ gati ſunt, fluxit ex utero materies longe
„ purior, neqvaqvam fœtens. Tandem tu-
„ mores ſcirrhiqve diſparuerunt, fluxus inte-
„ gre ſiluit, & ex ſolo ſimilis juſculi uſu hæc
„ matrona bene ſe habet „. Haud ſecius
J. POLZERI (*r*) „ femina 40 aliqvot anno-
„ rum a longo tempore variis ſymptomati-
„ bus hyſtericis, & fluore albo uterino

(*q*) Ibidem p. 76.
(*r*) STÖRCK libell. qvo contin. experim. Cap. 8. p. 196.

„ cum tumore ſcirrhoſo circa ovarium ſi-
„ niſtrum pugni virilis inſtar vexata eſt.
„ Adhibito ℥e de extracto aconiti cum ſa-
„ charo, & infuſo cicutæ, cui addebatur
„ ¼ lactis, & appoſito emplaſtro de cicuta,
„ poſt 6 ſeptimanas integerrime curata eſt „.
Ita & KRAPFII (*s*) „ femina jam a multis
„ annis fluore albo acri & pudendorum
„ labia erodente laboravit. Os uteri a
„ minimo attactu vehementer doluit; &
„ obſervabatur tumor magnus durus, qvi
„ totum ſpatium inter oſſa pubis & uteri
„ collum replevit. Excepto per genitalia
„ vapore cicutæ ope cannulæ in vaginam
„ immiſſæ ter de die per ¼ horæ, & ci-
„ cutæ ſucco vel extracto per 4 menſes
„ aſſumpto hæc femina integre curata ab
„ hoc malo eſt, & diſparuit tumor „.
Pariter J. QVARIN (*t*) „ femina (inqvit)
„ 42 ann. ab ultimo ante ſexennium puer-
„ perio fluore laboravit uterino. Materies
„ acris erat, rodens, vicinas partes exco-
„ rians, peſſime fœtens. Varia aptiſſima
„ a prudentiſſimis in arte viris, ſed fruſtra,
„ adhibuit remedia. Pilulis ac abſterſione

(*s*) Ibidem p. 243. ſq.

(*t*) Ten am. de cicuta cap 2. caſ. 13. p. 34.

„ partium cum decocto cicutæ, infuſo agri-
„ moniæ, ſpatio 19 ſeptimanarum integre
„ curata eſt. Qvatuor ſolum vicibus eam
„ ſenna purgavi „. Neqve minus his memoria dignus eſt F. C. STOELLERI (*u*) caſus: puella duodeviginti annos nata mendica, euſarca, ab infantia tineam achoroſam paſſa, ex qvo tempus catameniorum fluxui ſolenne attigit, iſthoc nullatenus apparente, periodicas tineæ viciſſitudinis eum in modum experiebatur, ut ſemper a nova ad plenam lunam totum caput, qvouſqve capillatum eſſe debuiſſet, cruſta humente craſſa velut mitra obduceretur, qvæ verſus ultimam lunæ qvadram uſqve adeo ſenſim decedebat, ut ſub novilunium caput tinea prorſus vacaret, ſed ſimul calviſſimum, crudæ carni cuticula tenera obductæ ſimile, coloreqve cancrum exutis nuper chelis coctum æmulans. Huic igitur ægræ, præmiſſa catharſi, data ℥j pilularum extracti cicutæ ad pondus gr. ij. paratarum, ut primum m. & v. No. j. & de triduo in triduum una ſemper pilula plus, caperet. Datus præterea ſacculus herba cicutæ plenus, ex qva prius

(*u*) Beobacht. u. Erfahr. aus der innern u. äuſſern Heilkunſt, 8 Beobachtung p. 139. ſqq.

ſuccus pro extracto expreſſus, ipſaqve dein lente ſiccata fuit (cui majorem, qvam cum ſucco ſiccatæ, vim pro uſu externo ineſſe Auctor expertus eſt), pro cucuphis aliqvot conficiendis, & identidem in aqva fervida exprimendis, ac abluto prius ∇^{a} hac ſæpius capite diu noctuqve geſtandis. Unde puella ſenſim ita convaluit, ut mox curationis initio tinea ſolito tempore enata ſit levior, multis capitis locis intactis relictis, ac ſolito qvoqve maturius deceſſerit. Diſparuit omnis capitis rubor, cutis evaſit ſecundum naturam, denſi ſuccrevere capilli, ac demum etiam catamenia juſtis comparuerunt periodis. Duodecim inde poſt annis rediit puella, referens, catamenia ſibi ab aliqvot retro menſibus tum primum emanſiſſe, & ex illo tempore leucorrhœam ſe pati cum exanthemate urente udoqve in una mammarum, ulceribusqve in uno pede undiqve tumente, duro, ac rubente, exedentibus. Cum ceteroqvin ſaniſſimum præ ſe ferret habitum, datum 7° qvoqve die catharticum cum ☿^{io} dulci, ac poſt alteram ejus doſin porrectæ ξ^{ris} cicutæ Viennenſis ʒ vj, ſumeret qvotidie m. & v. ad cuſpidem cultri. Pedi cataplaſma GOULARDIANUM admotum. Nondum menſis abiit, cum & pes plane ſanus eſſet, & ſicca-

tum pectus, & menſes priſtinum ad ordinem reverſi. Horum caſuum agmen claudat inſignis alius STÖRCKII (*x*) caſus, nimirum „ femina 52 annor. a longo tem-„ pore dolore continuo rodente in utero „ vexabatur; fluore ſimul albo laboravit, „ qvi ſenſim adeo malignus factus eſt, ut „ materies effluens non tantum partes geni-„ tales corroſerit, ſed & ipſa linteamina „ qvibus excipiebatur, brevi reddiderit fri-„ abilia: fœtor præterea tantus fuit, ut & „ maritus eam fugerit, & omnes feminæ, „ qvibus alias familiariter utebatur, evi-„ tarint ejus conſortium. Poſtqvam pluri-„ mam bonorum ſuorum partem fruſtra in „ ſui curationem conſumpſit, meum tan-„ dem auxilium qvæſivit. Iuſſi, ut ſerum „ lactis biberet, & ablueret partes circa „ pudenda leni infuſo cicutæ & lacte, ad-„ dito pauco melle roſarum. Qvoniam au-„ tem conqverebatur, noctes eſſe maxime „ inqvietas ob enormes in utero ardores „ præſcripſi ℈em ex ℨß lap. 69 & ex „ gr. j opii, ut qvotidie cubitum itura ſimi-„ lem ℈em ſumeret. Somnus inde longior „ & tranqvillior factus eſt, & augebatur

(*x*) Libell. 2. de cicuta cap. 2. caſ. 15. p. 111. ſqq.

„ appetitus, imo & vires majores videbantur, & mens alacrior; ceteroqvin autem nil mutatum fuit. Exhibui tunc præter ſerum lactis extractum cicutæ, & veſpertinos ℥es continuavi. Spatio 14 dierum dolores adeo mitigati erant, ut paregorico veſpertino opus non amplius fuerit; materies utero prodiens non amplius ita fœtuit, nec adeo acris fuit: urina autem retinebatur. Abſtinui tunc per aliqvot dies ab extracto cicutæ, & dedi MRam ſeqventem:

℞. Lap. 69 ℥j
Vini Auſtriac. montan. ℔ j.

„ M. S. ægra qvater per diem cochl. j. Hæc MRa egregios effectus præſtitit; etenim urina prodiit liberrime, & ex utero propellebatur multa materies acris ichoroſa cum magno ægræ levamine: interim tamen dolores iterum aucti ſunt. Hinc dein ad uſum cicutæ denuo erat tranſeundum. Dedi qvotidie gr. xx extracti cicutæ, & copioſum decoctum radicis althææ vel ſerum lactis. Dolores hinc mitigabantur, & vires auctæ ſunt, atqve prodiit materies mucoſa, raro fœtida. Nihilominus poſt 3 circ. ſeptimanas circa urinæ vias iterum teneſmi obſervabantur. Unde extracti cicutæ

„ loco iterum dedi MR^am priorem ex
„ vino & caucrorum lapidibus. Et hæc
„ magnum denuo levamen attulit. Hac
„ ratione cogebar ſæpius cicutæ uſum in-
„ terrumpere, & fere omni 14to die de-
„ di MR^am, qva abſumpta extractum cicutæ
„ iterum continuavi. Effectum eſt inde,
„ ut miſerrima hæc ægra ſpatio 6 menſium
„ integre fuerit ſanata; & jam a 9 menſi-
„ bus optimam ſanitatem habet . . . Nar-
„ ravit, qvod ab omnibus ob fœtorem ex
„ utero prodeuntem contempta fuerit,
„ qvod proprius maritus, propriæ proles
„ eam qvaſi peſte affectam fugerint; qvod
„ tabe fere conſumpta nil niſi oſſa & pel-
„ lem geſſerit; qvod abhorruerit a cibis, &
„ ſudore nocturno fere diffluxerit: nunc
„ autem dedit videnda toroſa brachia &
„ ſuras optime repletas & firmas, dixitqve,
„ qvod jam marito plurimum complaceret „.
Alios qvoqve præter hos de cicutæ effica-
cia caſus ſuis poſtmodo videbimus locis
(*y*).

b) *Balſama* nativa, cum & vulnera-
ria & ſumme antiſeptica, ſimulqve tonica,

(*y*) Vide inferius in c) & hiſtor. 10.

ſint, huc perinde referri oportere liqvet. Sed de his jam ſuperius (z) verba fecimus.

c) *Gummi-reſinæ* qvoqve hujus ſunt loci, ut maſtiche, thus, &c. præſertim ubi vera ſimul purulentia præſto eſt. Ill. STÖRCK (*a*) ejusmodi „ feminas habuit, „ qvibus verum pus ex utero effluxit (*b*), „ & aderant ſigna abſceſſuum in utero latentium: febrem ſi magnam & continuam „ ſimul habuerunt, tunc eam decoctis emollientibus & emulſis refrigerantibus antea „ diminuere & mitigare tentavit; dein exhibuit pilulas

(℞. Sarcocollæ
Maſtich.
Oliban. aa ʒj.
Mucil. gum. tragac. q. ſ. F. pil.
„ gr. iij. S. D. omni trihor. tres pilulæ), „ & qvalibet vice deſuper hauriendas dedit „ ℥ vj infuſi agrimoniæ. Pro potu ordinario datum eſt ſerum lactis vel lac tripla „ aqvæ copia dilutum. Hac ratione fere „ omnes reſtitutæ ſunt „. S. BLANCKAR-

(z) Vide. §. 48. d).
(*a*) Ann. med. 2. p. 213.
(*b*) Vide hiſtoriam 10.

TUS (*c*) mulierem ab leucorrhœa ex terrore nata, ſæpeqve ubertim procedente, ſeqventi ℥e liberavit:

℞. Maſtiches

Thuris aa ℥ß. M. F. ℥. S. bis de die, qvantum digitale plenum capit. Multum autem in leucorrhœa curanda olibano ſoli defert M. I. MARX (*d*), qvippe qvod „ experientia nobis (ait) compertum eſt... „ ad profluvia muliebria ab acrioribus... „ ſuccis, & lympha præcipue acri & ſalſa „ nimis, orta, in fluore dicto albo præ„ primis, multum conducere: plures jam „ feminas hocce thure a malo hoc curavi. „ Singulare de hujus uſu proficuo adducam „ exemplum. Mulier 50 circ. annor. qvæ „ poſtqvam firmam ſatis habuerit valetudi„ nem, etiam poſtremo tempore, in qvo „ menſtrua ob ætatem non amplius fluxe„ runt (fluere autem deſierunt aliqvot an„ nos ante), incidebat in immane ſangvi„ nis profluvium ex utero, qvo ſedato „ circa uteri regionem motibus ſpaſmodi„ cis, cruciatibus, doloribus acerrimis, „ qvi modo hanc modo illam regionis par-

(*c*) Collectan. medico - phyſ. Cent. 6. Obſ. 87

(*d*) Obſ. medic. P. 1. p. 121. ſqq.

„ tem terebrabant ac divellebant, correpta
„ eſt. Ipſam qvoqve veſicam rectumqve
„ inteſtinum in hujuſmodi calamitate impli-
„ cari contendebant dyſuriæ fictiqve te-
„ neſmi moleſtiæ pleniſſimi. Qvibus per-
„ ſiſtentibus malis fluxit ſemper ab utero
„ humor qvidam nunc albus nunc flavus
„ raro viridis, interdum tenuis ad inſtar
„ lymphæ, interdum lentus inſtar muci,
„ nulla autem unqvam ſaniei aut puris
„ qvalitate præditus. In hoc vero tem-
„ pore horum affectuum mulier ſæpe ex-
„ ſtitit immunis a febre . . . . . Clyſte-
„ res ſimplices ex lacte, nec non ex aqva
„ hordeata cum ſaccharo, interdum etiam,
„ ad mitigandos dolores uteri, ex toto
„ oleo commendavi. Dein experientia
„ edoctus præſcripſi thuris uſum, cujus
„ drachmæ dimidium ſaccharo tritum aqva
„ cinnamomi tenui in formam potionis red-
„ actum, addita TRa corticis Peruviani,
„ qvam potionem mane & cubitum petens
„ ſumpſit ægra, cum decocto ſarſaparillæ
„ & radicis chinæ. Regio uteri ſpongiis
„ madentibus calida decoctione papaverum
„ & florum chamomillæ fovebatur. Ali-
„ menta erant ex pane bis cocto, hordeo
„ perlato, avena mundata, oryza, ſago,
„ ovis ſorbilibus, juribus carnis vitulinæ

„ & pullorum, gelatinæ C. C. &c. Fræna-„ bantur hiſce humorum agitatio ac tumul-„ tus, ſiſtebatur dolor, nec rediit hæmor-„ rhagia, fluxus uterinus ſenſim ceſſabat, „ vires refocillabantur. Pro univerſali au-„ tem reparatione corporis uſum lactis præ-„ ſcripſi, redigebaturqve ægra ad ſuam „ laudabilem temperiem „. POTERII (*e*) qvoqve matronæ gummi-reſinarum uſus plurimum fuit ſalutaris. Huc etiam referri debet *decoctum nucis pineæ cum ligni viſci qvercini portione* potui datum; namqve „ mira-„ bile, inqvit D. PANAROLUS (*f*), reme-„ dium eſt, huic morbo egregium, ſicuti „ nos pluries obſervavimus „.

d) *Cortex Peruvianus*, unus omnium inſtar; ſiqvidem ſumme roborat, ſpaſmis medetur, febrem lentam tollit, putredini reſiſtit, pus pravum corrigit, &c. ſicqve aut ſolus ad leucorrhœam curandam ſufficit, aut aliis indicatis remediis additus omnem in curatione paginam abſolvit. Sane H. F. DELIUS (*g*) „ in contumaci leucorrhœa „ poſt varia conſveta remedia eximios effe-

(*e*) Vide hiſtor. 4.

(*f*) Obſ. med. Pentecoſt. 2. Obſ. 48.

(*g*) l. c. 32 St. 4 Art. No 4. p. 138.

„ ctus vidit, ſi ejus pulv. aliis uterinis de-
„ purantibus, qvæ abſqve illo caſſa erant,
„ admiſtus in potus theati forma uſurpaba-
„ tur. Cœlibes & maritatæ, ſi iis ſapor
„ tolerabilis erat, bene ſe inde ſenſere,
„ partes prius laxæ robur ſunt adeptæ, ca-
„ tamenia rite fluxere, & luridus faciei co-
„ lor in meliorem eſt converſus „. Confir-
mat hæc ſeqvens STÖRCKII (*b*) obſerva-
tio: „ femina 30 aliqvot annor. jam ultra
„ binos annos fluore albo laboravit, mate-
„ ries erat acris, fœtida, lenta, qvando-
„ qve fuſca penitus, ſenſit ſimul ægra in
„ uteri orificio freqventes dolores lancinan-
„ tes, & ardorem continuum; totum cor-
„ pus erat debile & flaccidum. Cum citra
„ ullum levamen optima aſſumpſiſſet reme-
„ dia, præſcripſi cicutæ extractum. Hoc
„ aſſumpſit per 6 ſeptimanas, & abierunt
„ omnes dolores, prodiens materies non
„ amplius fœtuit, nec acris erat, & fiebat
„ albi coloris, tenuis admodum & pauca.
„ Cum autem corpus totum debile videre-
„ tur, & hic fluxus adhuc a vaſorum flac-
„ ciditate penderet, dedi ſeqventes pilulas:

(*b*) Libell. qvo contin. experim. Cap. 3. caſ. 23.
p. 46. ſqq.

℞. Extracti Cicutæ
Corticis Peruv. aa. ℥ij. M. F.
„ pil. gr. iij. S. ſumat qvater per diem tres „ pilulas, & bibat deſuper vaſculum infuſi „ Rutæ. His ſine interruptione per 3 ſepti„ manas adhibitis corpus totum factum eſt „ vegetum, deſiit uteri fluxus albus, & „ comparuerunt menſtrua pulchri coloris & „ debita copia. Juſſi adhuc per menſem ma„ ne ſumeret 4 pilulas, & 4 veſperi. Hac „ ratione convaluit „. Ubi vero leucorrhœa ſoli vaſorum uteri laxitati ortum debet, ſolo ſæpe cortice Peruviano profligatur, ut I. G. SCHENKBECHER (*i*) in femina mediæ ætatis expertus eſt, qvæ catamenia ordinate qvidem, ſed a natura ſemper uberrima, ſimulqve 3tia qvaqve ſeptimana fluentia, habens, leucorrhœam etiam ultra triennium, ſpiſſam, lentam, e flavo jam viridem, mordacemqve, & ut ut continuam, tamen 4 aut 5 diebus tam ante qvam poſt menſium fluxum uberius procedentem, tenſivo mordaciqve cum dolore uteri, lumborum, & ingvinum, pruritu in pudendis, emaciatione, ac febre lenta continuo creſcen-

(*i*) Bericht von den heilſamen Wirkungen der kinkina p. 100. ſqq.

te, veſperiqve cum vehementi cephalalgia, inſigni calore ac ſiti, &c. plus affligente, tolerans, menſe Novembr. 1767 repente in hæmorrhagiam uteri incidit; qva percurata menſes, ut ante, revertebantur. Curatio ad leucorrhœam dirigi cœpta: nempe facta brachii Væ Se, datoqve bis eccoprotico e rheo, ſenna, & manna, exhibitum decoctum ex æqvis partibus ſarſapar. & rad. chinæ cum pulvere nitri tabulati in ſ. q. ▽æ paratum, colatum, clarumqve, interdiu frigide, mane vero calide poſt deglutitas 5 pilulas ſeqventes, poculi menſura hauriendum:

℞. M. P. de ſuccin. CRATON. ℥ß
Extr. panchym. CROLLII
Myrrhæ
Oſſ. ſepiæ ppt.
☿ dulc. aa ʒj
Eſſent. Succin. q. ſ. F. pil. gr. ij.

Binis his remediis toto Decembri uſa eſt. Dein A. 1768 a 1a Januar. ad uſqve 22am Febr. bis adhuc vena brachii tuſa, terqve eccoproticum prius dictum iteratum, ac prioribus pilulis ſeqventes ſuffectæ

℞. Extr. panchym. CROLL.
Terebinth. Venet. aa. ʒj.
Reſin. Oleæ Capenſis
Gumm. Elemi
Granor. Maſtich.

☿ dulc. aa. ʒß
Eſſ. Succin. q. ſ. F. pilul. gr. ij.

Porro ℞. Rad. Althææ ℥iij
—— Chinæ
—— Sarſapar. aa. ℥jß
—— Saponar.
—— Liqvirit. raſæ aa. ℥j
—— Bardan.
Lign. Saſſafr. aa. ℥ß.
Aniſi ſtell. ʒiij. M. Conciſ. D.

ut ſemper inde cochl. ij. coqv. in 🜄æ ℔ ij, & colatura qviete clarificata D. U. inſtar prioris decocti. Nutriebatur autem pane ſimilagineo probe piſto, hordeo perlato, cremore avenæ, oryza, ſago, ovis ſorbilibus, pomis aſſatis, carne pullorum, vitulina, ac bubula, ſæpius tamen aſſa qvam elixa: interdum etiam vaſculum choccoladæ aqvoſæ conceſſum; vetito prorſus potu caffee, theato, ac id genus infuſorum. Sangvine his remediis aliqvatenus emendato, ut leucorrhϾæ materia jam albior iterum proflueret, a 23ª Febr. per inſeqventes dies, qvæ ſangvinem a reſidua materia purulenta depurarent, data; leucorrhœa vero ſolius corticis Peruviani uſu, qvi omnem qvoqve dolorem ſenſim ſopiverat, eſt ſublata, fluxu in dies & magis albeſcente, & parciori eſſecto, conqvieſcente febre lenta, reverſoqve

vividiori faciei colore, & carnoſiore habitu. Abſumpſit ægra ad 25^{am} uſqve Maji corticis Peruv. ℔ iij cum ℥jß & ʒij qva in pulvere qva in electuariis. Initio qvotidie ſumpſit pulveris ʒj. & doſi in ſingulas hebdomades aucta poſtremo qvotidie ſumpſit partitim ʒvj, nunqvam amplius. Primis 14 diebus dabatur in pulvere cum pauxillo nitri ac rheo, reliqvo tempore ſine ullo acceſſorio, uſqve ad 3 circ. poſtremas hebdomades, ubi pulverum jam pertæſæ præbebatur electuarium ex pulvere cum ſyrupo vel capillor. veneris vel roſar. rubrarum. In alimentis ſub uſu corticis haud magna mutatio facta: ut primum per anni tempus licuit, præter cibos ante memoratos, uſus herbarum recentium, ut lactucæ, ſpinachiæ, acetoſæ, chærefolii, rad. petroſel. &c. imperatus; cœpit pauxillo vini rubri uti; ſole aprico vel ambulabat vel rheda vehebatur ſolito freqventius. Alvus, ubi neceſſum erat, vel enemate vel ſumptis mannæ ℥ij. ſollicitabatur. Deniqve ad præcavendam recidivam ob laxiorem natura uterum (menſium juſto crebriorum & uberiorum cauſam) die 28^{a} Maji conſilium ægræ datum, ut aliqvamdiu adhuc doſi minore corticem ſumere pergeret, qvovis anno ſemel bisve mitteret ſangvinem, & omnia ſangvinem rarefacientia ſtudioſe vitaret. Qvo

factum

factum eſt; ut cum aliqvamdiu adhuc ſingulis hebdomadis corticis Peruv. ℥iij. jv. ſumeret, qvotidie in melius profecerit.

CAPUT IX.

ADSTRINGENTIA.

§. 56.

ADSTRINGENTIA poſtremo ſuperſunt pertractanda; qvod eo etiam enucleatius fieri oportet, cum ſint, qvi illa ab leucorrhœæ curatione penitus abeſſe velint: qvos inter F. HOFFMANNUS (*k*) „in fluore al-„bo (inqvit) ſive ſimplici ſive virulento, „vel etiam in menſibus decoloribus, ad-„ſtringentibus tam internis qvam externis „nihil pernicioſius eſt; ſiqvidem inde ma-„teria ſeroſa in utero ejusqve vaſis reten-„ta in maſſam ſæpius valde tenacem con-„creſcit, qva non modo excretio hæc im-„peditur, ſed ingens qvoqve & ad tactum „durus tumor in regione pubis non raro „ſubnaſcitur, qvi, niſi cito ſuccurratur, nun-„qvam fere non gravia accerſit accidentia.

(*k*) Med. rat. ſyſtem. l. c. cautel. §. 1.

„ Vidimus enim exinde lentas febres cum
„ atrophia, phthiſin, purpuracea exanthe-
„ mata, tumores tympaniticos, & eroden-
„ tes in faucibus defluxiones uvulam & a-
„ mygdalas peſſime afficientes, nec non ute-
„ ri ſcirrhos, apoſtemata, & exulcerationes
„ pene inſanabiles„. Credimus hæc omnia viro experientiſſimo, at non ita, ut axiomatum inſtar ac citra ullam exceptionem amplectenda cenſeamus; qvandoqvidem & aliorum clariſſimorum in arte virorum annoſam experientiam aliqvid eſſe arbitramur, qvi non modo non obfuiſſe adſtringentia, ſed uſqve adeo ſimul neceſſaria fuiſſe obſervarunt, ut cum ceteris qvibusvis remediis leucorrhœa non ceſſerit, ſolis adſtringentibus aut imminui cum levamine, aut plane etiam expugnari ſe ſe pateretur. Haud tamen eſt ambiguum, tanta in iis præbendis, exteriusve applicandis circumſpectione opus eſſe, ut niſi inevitabilis illorum præſto ſit indicatio, nullatenus adhibere eadem oporteat, præſertim vero per principia morbi, qvo tempore omnia alia agenda, qvam adſtringendum. Qvapropter

§. 57.

Indicantur binis tantummodo in caſibus, nec unqvam alias; videlicet dum adeſt

1) *Laxitas* vaſorum vel in toto vel in utero tantum, ſuperſtes poſt omnia qvæqve hactenus memorata remedia exhibita, ne ipſis qvidem roborantibus abolenda, i. e. in fine morbi, qvem ſolá jam tantummodo vaſorum laxitas ſuperſtes fovet. Dictum enim fuit (*l*), leucorrhœam anaſtomoſi vaſorum uteri aut vaginæ deberi; neqve obſcurum eſt, anaſtomoſin hanc binis poſſe cauſis tribui, ita ut vel humorum affluentium ad vaſa illa ubertas motusqve qvantitas tanta ſit, qvæ ſufficiat extremis vaſorum dictorum oſculis præter naturam diducendis laxandisqve, vel vero ea ſit horum vaſorum a qvibuscunqve aliis cauſis inducta atonia, qvæ efficit, ne extrema illa ipſorum oſcula eousqve ſe ſe contrahere valeant, ut nihil præter arterioſum qvemdam halitum ac rorem transmittant aliud, vel deniqve ambæ illæ cauſæ ſimul adſint: unde manifeſto colligitur, in omnibus his tribus caſibus curationem principio morbi ad humores in dictis illis va-

(*l*) Vide §. 19. ſqq.

ſis contentos vel maxime dirigendam eſſe; ac in primo qvidem caſu minuendam eſſe humorum vaſa illa diſtendentium cum copiam tum & motus qvantitatem, ut ita vaſa ſe ſe, ablato ſolo obſtaculo, ad priſtinam ſuam diametrum contrahere qveant. Iſthoc proinde in caſu vacuantibus cum leniſſime vaſa ſtimulantibus tantum, nullatenus vero adſtringentibus, opus eſſe abunde liqvet; ſecus enim humor vacuandus, præſertim ſi pravæ eſt indolis, retentus deteriora cauſaret mala. Unde recte L. RIVERIUS (*m*), adſtringentia, inqvit „ nunqvam ſunt adhi„ benda, donec antecedens materia probe „ evacuata & derivata ſit; alioqvi humores „ illi retenti ad partes nobiliores ruunt, & „ graviora ſymptomata excitant „ ut jam ſuperius (*n*) vidimus. Sed neqve in altero etiam caſu, etſi ſola vaſorum laxitas morbum creet, adſtringentia curationis initium expoſcit; nam præterqvam qvod laxiora juſto vaſa uberiorem, qvam par eſt, humorum copiam, a qva anaſtomoſis eo facilius procuratur, in ſe recipiant, haud aliter etiam ad priſtinam ſe ſe diametrum contrahere vale-

---

(*m*) l. c.
(*n*) Vide §. 36.

bunt, qvam ſi humores iisdem contenti ad minorem naturali & copiam & impetum redigantur: idcirco in altero qvoqve hocce caſu non adſtringentia ſed vacuantia curationem ordiri debent; & ſiqvid præter vacuationes hic inſtituendum eſt aliud, ad laxitatem nimirum vaſorum ſimul reſpiciendo, illud ad roborantium tantum exhibendorum uſum pertineat, oportet. Tertius deniqve caſus cum e binis prioribus conflatus ſit, perinde adſtringentia a principiis curationis prorſus excludit. Hincqve fit, ut leucorrhœa ſæpenumero ſine ullis adſtringentibus auſpicato curetur, iis vero præmature exhibitis vel contumacior evadat, vel male ſuppreſſa longe deteriora poſt ſe mala trahat. Verum ubi per principia morbi humorum vis & copia, pro eo ac par erat, imminuta fuit, indoles aliena emendata, omniaqve alia curationis obſtacula undiqve ſublata, leucorrhœa tamen ob ſolam vaſorum atoniam nullis roborantibus nervinis, utpote qvorum virtus minor ſit, qvam atoniæ vaſorum gradus expoſcat, abolendam perſtat; tum vero adſtringentia, nervinis valentiora, in uſum vocanda ſunt, eaqve vel ſola vel roborantibus juncta, non neglectis tamen per intervalla vacuationibus.

2) *Inanitio* nimia bonorum ſimul humorum, functiones, præſertim animales lædens, vitæqve periculum intentans, niſi fluxus ocyus aut ſuſpendatur ad tempus, aut certe, pro eo ac par eſt, minuatur. Urgens enim eſt indicatio vitalis, cui tum citiſſime ſatisfaciunt adſtringentia, a qveis hocce in caſu ne initio qvidem ægritudinis, ne dum habituali in malo, eſt abſtinendum, aut qvidqvam pertimeſcendum; qvandoqvidem palliativo tantum ſcopo adminiſtrantur. Indicationem hanc non cerebri ſpeculationisqve commentum, ſed experientiæ fœtum eſſe, docent obſervata v. RIEDLINI (*o*):
„ eſt autem (narrat ille) qvædam propin-
„ qva mihi cognatione conjuncta, jam fer-
„ me qvadragenaria; qvæ per pluſculos
„ annos fluore albo laborat, qvi non ſolum
„ interdum tantam adipiſcitur acredinem,
„ ut & partes genitales excoriet, verum
„ aliqvoties jam, qvando diutius præſertim
„ inſtitit, caput tantum debilitavit, ut non
„ ſolum de memoriæ defectu, verum & de
„ viſus tanta imminutione conqveſta fuerit,
„ ut interdum oculis vel propius admota
„ vix diſtingvere a ſe invicem potuerit.

(*o*) Lin. med. ann. 6. Octobr. 14 p. 1161. ſqq.

„ Hanc ipſam autem non tam confortantia
„ qvævis, & vel laudatiſſima cephalica ju-
„ verunt, qvam qvando remediis idoneis
„ nimius hic fluxus inhibitus fuit. Et de
„ iisdem fere malis conqveritur præcipui cu-
„ jusdam mercatoris uxor juvencula, cete-
„ ra ſana; hæc enim fluore hoc correpta
„ non ſolum ſubinde vertigine vexatur, ve-
„ rum &, dum attentius ſubjecta adſpicit,
„ viſum interdum aliqvamdiu ſic amittit,
„ ut, niſi poſt aliqvod temporis ſpatium,
„ eadem dijudicare non poſſit. Laudat hæc
„ qvidem opobalſami uſum; at qvia tanta
„ diligentia, qvanta opus eſt, illud in uſum
„ non ducit, malum identidem redit, ipſam-
„ qve, ut ſui majorem gerat curam, qvaſi
„ hortatur. In primis autem huc referenda
„ eſt matrona qvædam nobiliſſima, tenuio-
„ ris conſtitutionis, aliqvot liberorum ma-
„ ter; hæc enim, utut tributum lunare fere
„ ſemper, qvando non gerit utero, in ni-
„ mia ſolvat qvantitate, inde tamen ſe vel
„ minimum mali nunqvam percipere, qvin
„ melius ſe habere aliqvoties jam ſerio co-
„ ram me teſtata fuit; at a ſemper imme-
„ diate ſuccedente fluore albo tantum ipſi
„ debilitatur caput, ut tantum non perpe-
„ tuis catarrhis divexetur, qvi dentium ma-
„ xime ſenſilem partem præſertim occupan-

„ tes in iisdem ſubinde tantos excitant do-
„ lores, ut & a gravioribus ſibi metuat ma-
„ lis, oculosqve in primis & hæc ſubinde
„ caligantes notans ab apoplexia ſe non in-
„ anem fovere metum aliqvoties credit. Et
„ illi vero ea, qvæ fluxum hunc retardant,
„ medicamenta præ aliis hactenus conduxe-
„ runt „. Hæc RIEDLINUS. Ita etiam RAULINI (*p*) robuſtæ feminæ leucorrhœa poſt qvatridui febrem invaleſcens ad exhauſtionem uſqve cauſavit primum tenſiones ſtomachi, laſſitudinem artuum, tolerabilemqve cephalalgiam, qvæ demum in cardialgiam, debilitatem, ſæviſſimosqve capitis dolores adoleverunt, leucorrhœa uſqve adeo increſcente, ut ad eam moderandam præter diluentia & cathartica etiam lenibus adſtringentibus cum paregoricis opus fuerit, a qveis demum remiſit cum levamine, ſpemqve ulterioris ſanationis præbuit. Ceterum fluxus erat ſenſibiliter chyloſus, bihorioqve a paſtu tam copioſe procedebat, ut ægra erecto in ſitu conclavis pavimentum conſpurcaverit; poſtea minuebatur inſigniter uſqve ad novam refectionem.

(*p*) l. c. T. 2. P. 3. S. 1. C. 2. p. 14.

§. 58.

Delectus qvoqve remediorum adſtringentium non eſt prætermittendus; qvandoqvidem eorum nonnulla aliis qvoqve indicationibus eodem tempore implendis inſerviunt. Aptiſſime vero huc facientia remedia adſtringentia binas in claſſes dirimi poſſunt, ad qvas pertinent

1. *Exſiccantia* terreſtria abſorbentia, qvæ duplicis hic utilitatis eſſe videntur, dum nimirum non acrimoniam modo humorum ad ſe alliciendo tollunt, ſed aqvoſam etiam humorum partem, qvæ acres illas moleculas vehiculi inſtar complectitur, ſolidisqve interjecta tonum eorum imminuit, potenter imbibunt, ac per urinas evehunt. Hujusmodi ſunt vel maxime

a) *Lapides cancrorum*, qveis in leucorrhϾ curatione feliciter nuper Lugduni Batavorum celeber Practicus uti cœpit, præbendo eos qvotidie ad ℥ij. Ibiqve præcipue operæ pretium facere ſunt viſi, ubi materia tam erat acris, ut partes, qvas tetigit, arroſerit (q). Cui rei STÖRCKIANA (r)

(q) Medic. Commentar. von Edinburgh 1 Th. 3 St. 3. Abſchn. p. 362.

(r) Vide §§. 47 & 55. a).

qvoqve obſervata congruunt. Sed medicamenti hujus virtus ad leucorrhœam curandam jam dudum ante G. W. WEDELIO (*s*) nota fuit: „ curavimus (ait ille) „ aliqvando fluorem hunc ſolo magiſterio „ oculor. 69 cum oleo aniſi, item elixir „ uterini aliqvibus doſibus „.

b) *Corallia*, qvorum in curanda leucorrhœa uſus jam ſatis antiqvus eſt, non futurus utiqve, niſi profuiſſent; maximeqve illorum TRa & Syrupus commendantur. Ita C. KOELICHEN (*t*) ſexennem puellam a leucorrhœa, poſt alvum infuſo rhei per epicraſin motam, data per aliqvot dies TRa Coralliorum liberavit. Perinde J. LANZONI (*u*) ægra uſu ejusdem TRæ ac pulveris Terræ Sigill. ab eodem malo convaluit. Refert idem viduam 33 annor. ab leucorrhœa cum pallore, cephalalgia, palpitationibus cordis, & hypochondriorum tremore, ſyrupi corall. QVERCETANI (*x*) uſu fuiſſe vindicatam. Cujus ſyrupi efficaciam

(*s*) Amœnit. mater. med. L. 2. S. 2. C. 12. No. 6. p. 416.

(*t*) Act. med. Hafnienſ. Vol. 1. Obſ. 83.

(*u*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 1. Obſ. 39.

(*x*) Diſpenſ. Viennenſ. fol. 292.

etiam novennis puella PAULLINI (*y*) eſt experta.

c) ▽a *Calcis* & ▽a *Briſtolienſis*, „ qvæ revera eſt aqva calcis naturalis „ teſte R. MEAD (*z*), & in curanda leucorrhœa perqvam efficax. Ita mulier apud T. THOMPSONUM (*a*) ex abortu cum hæmorrhagia non admodum exhauriente in bimeſtrem incidit leucorrhœam citra univerſi corporis cachexiam: ad qvam ſanandam, ſub facili nutrimento, conceſſo potui pauco vino rubro & ▽a Pyrmontana, qvotidiana vectio curru imperata, cortexqve Peruvianus exhibitus. Ab his ſpatio 5. 6. hebdomadum ſenſim fluxus minuebatur, ac tandem a Briſtolienſis aqvæ uſu plane deſiit.

2. *Auſtera* medicamenta ac proprie ſtyptica, velut eſt

a) *Suber uſtum* „ qvod ad ʒj propinatum fuit experimentum HELIDAEI „ Paduani „ teſte M. ETTMÜLLERO (*b*).

(*y*) Vide §. 6.
(*z*) Expoſ. mechan. venenor. Tent. 1. p. m. 40.
(*a*) Samml. auserl. Abhandl. zum Gebrauche pract. Aerzte 3. B, 1 St. p. 13, ſq.
(*b*) l. c. p. 952.

b) *Qvercus folia.* „ Ego, inqvit „ H. MERCURIALIS (*c*), cum decocto „ fol. qvercus ℥jv vel ℥vj cum ʒj coaguli „ leporini per 8 vel 10 dies uſurpato inve- „ teratos fluxus curavi „.

c) *Terra Catechu.* „ Ante omnia, „ inqvit J. DOLAEUS (*d*), convenit „ TRa Catechu cum 🜍 ♀ſato parata, & „ per 9 dies continuata, qva ſola plures „ reſtituimus. Poteſt in larga exhiberi „ doſi „.

d) *Vitrioli acidum*, qvod ſimul diureticum, & antiſepticum eſt. „ Nullum, „ ait R. a FONSECA (*e*), præſtantius re- „ medium pro roboratione interna inveniri „ poterit eo, qvod ſic conficitur:

℞. ▽æ roſar. ℔ jv.
Ω vitriol. gtt. xij. ad xv. M.

„ ita ut aqva reddatur acidula, ac vix ta- „ lis ſentiatur ad guſtum. Deinde ſumito „ tres pugillos roſarum rubrarum ſiccarum, „ & ponantur in ▽a vitriolata in vaſe vi- „ treo, deinde baculo agitetur aqva; poſt- „ ea permaneat ſic aqva per duos dies,

(*c*) De morb. mulier. L. 4. C. 6.
(*d*) Encycl. med. L. 5. C. 4. §. 24. p. 506.
(*e*) l. c. Tom. 1. Conſult. 21. p. m. 152. ſq.

„ in qvo ſpatio (mirum dictu) aqva acqvirit „ colorem ſaporem & odorem roſarum: deinde extrahe ipſum liqvorem tinctum, & „ cum ſaccharo roſaceo & julapio roſarum „ fiat ſyrupus, de qvo ſumat ſingulo qvoqve mane ℥j. Medicamentum eſt præſtantiſſimum corroborans, parum adſtringens „. Eodem nuper acido exhibito leucorrhœam M. A. WEIKARD (*f*) bis fugavit, primum (*g*) in matrona jam cachectica, macra, hecticamqve ſimul febrem perpetiente, cui leucorrhœa poſt hyſteritidem ſuppreſſa febrem putridam epidemicam 15 dierum accivit. Huic præter evacuantia opponebatur ▽a acido minerali miſta cum ſyrupo potui data, eo cum effectu, ut & putrida & hectica febris & leucorrhœa deſierint. Poſtrema qvidem aliqvot poſt menſes rediit, ſed humor jam albus, parcior, minuſqve acer profluebat. Alia (*h*) matrona eundem fluxum uberem cum perpetuo ſanguinis ex utero ſtillicidio ac febricula hectica paſſa, ubi diu ∘°∘ vitriol. in ▽a cum ſyrupo bibiſſet, addito interdum elixir

---

(*f*) Obſ. medic. p. 108. ſqq.
(*g*) Ibidem caſu 1.
(*h*) Ibidem caſu 2.

vitriol. MYNSICHTI, ita ſenſim convaluit, ut etiam gravida facta feliciter pepererit. Stillicidio ſangvinis ſub hac graviditate, uti & ſub priore, qvam abortus excepit, accidenti HALLERI elixir acidum opitulatum eſt.

e) *Martialia* demum omnium pene efficaciſſima. Nam cum teſte R. MEAD (*i*) hocce in morbo „ laxiores corporis fibrillæ adſtringentia deſiderant, ea in primis „ qvibus ferrum ineſt „ optime Auctor convenire exiſtimat. Eximie utiqve STARCKII (*k*) duci profuere. Maxime vero idoneæ hoſce in uſus ſunt ▽æ ♂les, ut *Lauchſtadienſes*, *Freyenwaldenſes* (*l*), *Landeccenſes* (*m*), &c. De *Piperinis* ANHORNIUS coram J. REYDT (*n*) ſancte affirmavit, nullum ſe aut certius aut ſecurius adverſus leucorrhœam noſſe remedium earumdem potu ac balneo, multaſqve ab ſe nobiles ægras harum aqvarum uſu e morbo dicto plane fuiſſe percuratas, qvæ fruſtra

---

(*i*) l. c.

(*k*) Vide hiſtor. 5.

(*l*) HOFFMANN l. c. cautel. §. 3.

(*m*) Hiſtor. morbor. Vratisl. A. 1669. p. m. 59.

(*n*) Hydrophylacii 1. Th. 12. Cap. p. 263.

prius efficaciſſima qvæqve remedia ſunt expertæ. Non ſine fructu ſané Comes ab ETTINGEN iiſdem eſt uſa (o). *Ruhlenſes* qvoqve idem præſtant, qvarum in & externo uſu A. F. BERTRAMI (p) juvenis matrona non modo a vetuſta leucorrhœa eſt liberata, ſed ob eandem ſterilis conceptionis qvoqve ſigna jam præ ſe tulit. Porro „ in affectu hoc rebelli, inqvit J. DO„ LAEUS (q), ex ſingulari diſpoſitione „ lymphæ, qvando hæc corrupta & acris „ reddita fuerit, & glandulas partium ge„ nitalium corruperit, ut non amplius re„ tinere poſſint, conveniunt præ aliis ther„ mæ *Embſenſes*, a qvibus plures feminas „ albo fluore rebelli laborantes curatas vi„ di „. *Brückenavienſes* etiam non ſunt incelebres. Apud M. F. ALIX (r) „ fe„ mina 30 annorum fluore albo per 4 jam „ annos poſt inſignem animi mœrorem „ afflicta aqvas Brückenavienſes in & ex-

(o) Ibidem p. 184.

(p) Unterricht von dem Gebrauche u. Würkungen des Ruhler Stahlwaſſers p. 60. Obſ. 8.

(q) Encycl. med. L. 5. C. 4. §. 24. p. m. 505.

(r) Obſ. chirurg. faſcic. 4 contin. obſ. de ſalut. effect. aqvar. miner. Brückenau. Obſ. 14. p. 151.

„ terne adhibebat tam felici ſucceſſu, ut „ penitus a malo ſuo liberaretur, & men- „ ſes legitimos experiretur, qvales durante „ fluore albo nunqvam ipſi ſucceſſerant „. Sæpenumero etiam hæ aqvæ curationem accelerant, dum aliorum remediorum uſui ſubjunguntur. Sic J. C. RUEFFII (s) matrona admodum formoſa, prope qvadragenaria, ſangvinea, obeſula, vivax, ac in venerem prona, qvater olim partu levata, dein ſeptennium a viro relicta, a triennio leucorrhœam ex intervallis jam plus jam minus moleſtam patiebatur cum ſymptomatibus hyſtericis, notabiliqve in dextra uteri parte (qva ſe olim fœtus geſtaſſe meminit) dolore, qvi ſub fluxu menſium (pene 14to qvovis die, at ſine dolore, nec nimia copia, revertentium) inſigniter minuebatur, iis vero finitis denuo invaleſcebat, nec non obſcuro qvodam loci dolentis tumore. Poſt uſum pilularum ſaponaceo-gummoſarum, ſemicupiorum, & frictionem abdominis qvolibet mane inſtitutam, e conſilio A. HAENII ſumebat ter qvotidie No. 3 pilulas e ſeqventibus:

(s) Conſult. medic. p. 148. ſq. 155.

℞.

℞. Sangvin. dracon.
Terebinth. coctæ aa ℥ij
——— liqvidæ q. ſ. F. pil.
gr. jv. qveis ſæpius veſperi jungendum ſvadebatur paregoricum e ſyr. diacod. cum mucilag. ſem. cyd. ▽ª roſ. extracta. Ab his pilulis aliqvamdiu cum regimine uſurpatis demum aqvis Spadanis ægra ex integro convaluit.

CAPUT X.

COMPOSITA.

§. 59.

COMPOSITA *remedia* ad leucorrhœam ea voco, qvæ e pluribus hactenus enarratis ſimplicibus conflata & exhibita pluribus eodem tempore indicationibus faciunt ſatis. Medicamenta hæc magnis paſſim ornantur œncomiis, præſertim ab ſuis inventoribus; neqve inficiandum eſt, ea ſæpenumero operæ feciſſe pretium: idcirco nec prætereunda hic eſſe cenſui, ut qvæ ad abſolutam leucorrhœæ hiſtoriam pertineant. Commendatiſſima vero ſunt fere iſthæc:

§. 60.

1. *Cremor ſemin. lactucæ cum* ▽a ♂li. Etenim „ cremore lacteo ſeminis lactucæ ▽a „ chalybeata præparato plurimas albo fluore „ laborantes cum ♁e eboris ſubtiliſſimo mi- „ ſto percuravit J. MEYNOLDUS Medicus „ Venetus „ referente G. H. VELSCHIO (*t*). De hoc ipſo remedio T. BARTHOLINUS (*u*) „ inter rara experimenta (ait) & ſæpenu- „ mero feliciter probata adverſus albas „ mulierum fluxiones hoc accepi in Italia: „ cremorem nempe ſeminis lactucæ prius „ macerati in ▽a exſtinctionis chalybis, „ addito pulv. eboris in tenuiſſimum polli- „ nem redacti „. F. C. PAULLINI (*x*) „ duas feminas, alteram 38, alteram 57 „ annorum a fœdo hoc fluore cremore ſe- „ minis lactucæ, prius in ▽a exſtinct. cha- „ lyb. macerat. addito pulvere nuc. moſch. „ præmiſſo purgante, omni ex voto cura- „ vit „ (*y*).

(*t*) Miſc. nat. cur. dec. I. ann. 4. app. p. 47. mictoin. cent. 2. No. 95.

(*u*) Act. med. Hafnienſ. Vol. 5. Obſ. 36.

(*x*) De nuc. moſch. S. 2. P. 3. membr. 7. C. 7. §. 4. p. 666.

(*y*) Confer. §§. 51 & 58. No. 2. e).

§. 61.

2. *Eſſentiæ*, TRæ variæ e prius allatis conflatæ, cujuſmodi ſunt, qvas conſtituunt

a) TRa *Corallor. cum* Ωu *Lignorum.*

J. M. NESTERUS (z) „ puella nobilis o-
„ ctennis (inqvit), habitus corporis gra-
„ cilioris, corripiebatur per 3 menſes flu-
„ ore muliebri . . . ex nimio atqve con-
„ tinuo ſacchari uſu, qvo a pueritia aſſve-
„ ta erat, & ſomno, cui indulſit hactenus
„ contracto, cum pallore faciei & labiorum,
„ cephalalgia gravi, reſpiratione anhelosa,
„ palpitatione cordis, laſſitudine gravativa;
„ appetitu penitus proſtrato, ac metu, ne
„ malum hoc in cachexiam aut atrophiam
„ degeneret . . . Ordinavi varia, qvæ alias
„ cum felici ſucceſſu in hoc affectu adhiberi
„ ſciebam, in primis ad humores crudos
„ præparandos, obſtructiones reſerandas,
„ ac intemperiem corrigendam. Optima
„ tandem obſervata diæta præſcripſi vinum
„ medicatum, ac poſtea TRam Corall. cum
„ Ωu lignorum præparatam aliqvoties ex-

(z) Miſc. nat. cur, dec. 1. ann. 8. obſ. 25. p. 46.

„ hibui, & ægram . . . optimæ ſanitati re-
„ ſtitui „ (*a*).

b) *Eſſentia balſ. Peruviani cum* TRa ♂ ZWOELFFERI. „ In fluore albo, ait F.
„ HOFFMANNUS (*b*), præmiſſis per epi-
„ craſin agentibus laxativis, ex meliſſa,
„ abrotano, corticibus lignorum, eſſentia
„ balſami Peruviani cum TRa ♂ ZWOELF-
„ FERI mixta in rebelli hoc & moleſtiſſimo
„ feminarum affectu, non omiſſis qvoqve
„ externis cum eodem balſamo ſuffumiga-
„ tionibus in uterum receptis, egregium
„ levamen aliqvoties attulit „ (*c*).

c) *Eſſentia Pimpinellæ alb. cum* TRa ♀ri uſitatiſſimum ad leucorrhœam remedium (*d*) J. STORCHIO, apud qvem (*e*) puella tenera 11 annor. 24ta Januar. cum ante & poſt meridiem expalleſcens vomuiſſet, at ſine febre, data TRæ rhei ℥j binis doſibus cum levamine. At cum nihilomi-

(*a*) Confer §§. 49. & 58. No. 1. b).

(*b*) Diff. de balſam. Peruv. §. 27. Opp. ſuppl. 1. P. 2. p. 740.

(*c*) Confer §. 48 d) & §. 58 No. 2. e).

(*d*) Confer §. 53. 47.

(*e*) Obſ. clinic. ann. 8. Januar. Cl. 2 No. 5. p. 331. (Confer etiam von Weiberkrankh. 2. Band caſum 113. p. 419.)

nus ægrotare pergeret, 18va Febr. detectus apud eam eſt fluor albus, cui oppoſita MRa ex eſſent. Pimpin. Lignor. cum TRæ ♁ii aa ʒj. S. m. & v. gtt. xij. Poſtero die æſtuanti data MRa refrigerans. Die 20a bene habuit. Febr. 27a referunt leucorrhœam aliqvot diebus & vehementem & excoriantem adfuiſſe. Idcirco præſcripta ſeqventia:

> ℞. MP. BECHERI
> — purgant. aa ℈ß
> ☿ dulc. gr. jv. M. D. pro 4 doſib. veſperi.
>
> ℞. Eſſent. Pimpin. ʒiij.
> TRæ ♁ii ♀ſat. ʒj. M. S. ad gtt. xv.

Ab his demum ex integro convaluit. Porro (*f*) mulier 26 annor. leucorrhœæ interdum obnoxia cum eam domeſticis remediis repreſſiſſet, 27a Decembr. tempore catameniorum torminoſam diarrhœam nacta eſt, qva per TRæ rhei ʒj bifariam ſumptam ſedata, menſibuſqve abſolutis, 31a in febrem pleuriticam, ſibi non inſuetam, incidit, cui rurſus pulv. antiſp. pect. ac litu depulſæ 1a Januar. ſucceſſit odontalgia,

(*f*) Ibid. Decembr. Cl. 2. p. 652.

dataqve MRa refrigerante poſtero die in hypochondriis (ubi nempe litus ante adhibitus fuit) effloruere miliaria, ægra magis ægrotante; ſed ſimul erupit denuo fluor albus. Continuatis Pulv. & MRa die 4a Januar. mulier melius habuit; vehementes tamen adhuc dolores ſpinam dorſi tenuere. Datus pulv. antiſp. ſal amar. c. magnes. alba. Die 15a e mariti infectione patuit leucorrhœam eſſe veneream. Data ergo eſſent. Pimpinell. cum. TRa ☿ri bono effectu. At qvi hæc, ſi malum erat venereum, poterant profuiſſe? Forte penis mariti excoriationem tantum eſt perpeſſus (g).

§. 62.

3. *Potus* varie confecti, qvalia ſunt

a) *Apozemata* LOSSII & GASSERI. Sic apud Medicos Vratislavienſes (*h*) „ ceteris parum proficientibus ab inveterato malo liberata fuit matrona apozemate „ LOSSII (*i*):

(g) Vide §. 30.
(*h*) Hiſt. morb. Vratiſl. A. 1700. p. 369.
(*i*) Obſ. med. L. 4. C. 8. p. 344.

℞. Raſ. lign. Lentiſcin. ℥vj
——— Roſmarin. ℥ij
Succin. fl. craſſ. contuſ. ℥vj.
Raſur. Stanni ℔ j.
——— Ebor. ℥j. macer. in
▽æ font. ℔ viij per 24 h.
dein adde
Rad. Eryng. ℥iij.
Uvar. paſſar. ℥ij. Coqv.

Perinde A. GASSERI (*k*) mulier „ fluore „ uteri laborabat . . . adeo pertinaci, ut „ nulli remediorum generi cederet, ſed „ continue moleſtus eſſet, ut in ſubmeju- „ lis urinæ ſtillicidium. Purgationibus „ igitur ſæpius jam iteratis, aliiſqve diver- „ ſæ formæ tergentibus, & adſtringentibus „ adhibitis, potu tandem decocti conva- „ luit:

℞. Lign. Gvajaci ℥ij.
Cort. ejusd. ℥jß
Glycyrrh. ℥j. Coqv. ad me-
diet. in
▽æ ℔ jvß, dein adde
Sem. Portul.
— Sumach aa ʒij.

(*k*) Apud G. H. VELSCH ſyll. cur. & obſ. med. Obſ. 86.

Rad. Tormentill. ℥ſs
Glandium cum calicib. No. vj.
Conſolid. Saracen. p. j. Coq.
„ denuo probe cooperta ad reman. ℔ ij.
„ Colat. adde ad ſingulas ℥jv
Syr. Cydonior. ℥j. M. D. ſudo-
„ re excitato. Æſtate etiam ad acidulas
„ miſſa potu earumdem melius habuit „.

Ex conſideratis horum apozematum ſimplicibus facile apparebit, ad qvaſnam indicationes eodem tempore inſerviant.

b) *Vina medicata* STÖRCKII, FORESTI. Ab STÖRCKIO (*l*), ſi ad purgans alibi (*m*) memoratum leucorrhœa non conqvievit, & ægræ debilitabantur,
„ tunc optato cum ſucceſſu datum eſt vi-
„ num

℞. Limat. ♂ non rubig.
Cort. Cinnamom.
—— Winteran.
—— Peruv. aa ℥ſs M. F. 🜔
cui affunde
Vini generoſ. Auſtriac. ℔ ij.
„ Relinqve in leni digeſtione per 24 h. dein
„ colaturam per inclinationem exhibe. M.

(*l*) Ann. med. 2. p. 211.
(*m*) Vide §. 45. No. 1.

„ S. detur ter de die cochlear j. ſenſim „ augendo doſin. Solo hoc vino reliqviæ „ fluoris albi penitus ſublatæ ſunt, & „ ægris rediit robur, color, & integra ſanitas „ (*n*). De FORESTI autem vino alibi (*o*) dicetur.

§. 63.

4. *Pilulæ* variorum Auctorum, ut ſunt

a) L. B. LENTINI (*p*) ex rheo, alumine, cortice Peruviano (*q*), qvas ipſe in leucorrhœa continua non acri ſummæ efficaciæ eſt expertus.

b) BECHERI *polychreſtæ* (*r*), vel E. C. STAHLII, de qvibus ita ipſe (*s*): „ ſi a qvoqvam (ait) medicamento uſqvam „ effatu dignum in hacce affectione effectum „ obſervavi, certe ab uſitatis mihi pilulis „ eumqve uſqve adeo ſub ſenſus cadentem, „ ut primum leucorrhœam adaugentes poſt-

(*n*) Confer §. 55. d), & §. 58. No. 2. e).
(*o*) Vide hiſtor. 3.
(*p*) l. c. No. 23. p. 157.
(*q*) Confer §. 45. No. 1. §. 58. No. 2. e). §. 56.
(*r*) Diſp. Viennenſ. fol. 146.
(*s*) Colleg. caſ. magn. caſ. 68. p. 679.

„ modo rite continenter ſumptæ eandem „ ſenſim imminuant, ac demum plane „ compeſcant „. Formula earum eſt ſeqvens (*t*):

℞. Extr. C. B. & Fumar.
Gumm. ammon. in Acet. Scillit. ſolut. aa ℥j.
Myrrhæ optim.
Aloes ſuccotr. aa ℈j.
G. Hederæ ʒß ad ℈ij.
Croc. pulveriſat. gr. xv. M. F. pil. D. qvotid. gr. xv pro doſi (*u*).

§. 64.

5. *Pulveres*, in primis

a) I. DOLAEI (*x*): „ nos (inqvit „ ille) levi remedio & plerumqve unico „ ſolemus curare hoc malum, & niſi aliud „ qvid adſit, qvod hujus morbi curationem impedire poſſit, auderemus fere certam polliceri curationem. Exhibemus „ autem ſeqventem pulverem, & qvidem reiteratis vicibus (*y*):

(*t*) Ibidem caſ. 19. p. 233.
(*u*) Confer §. 43. 53. 55. c).
(*x*) Encycl. med. L. 5. C. 4. §. 24. p. 505. ſq.
(*y*) Confer §. 58. No. 1. 2 d) e).

℞. Teſtar. ovor. calcinat. ʒß
Vitriol. ♂ a gr. vj. ad x . . .
poteſt adjungi
Camphoræ gr. iij.
Laud. opiat. gr. j.
Sacch. ♄ni gr. v. M.

(Poſtremum tamen conſultius omittetur.)

b) J. H. LANGII (z); qvi „ eſt „ (ait) albi fluoris præter venereum atro„ ciſſima ſpecies, qvam menſtrui fluxus „ ſubitanea ſuppreſſio gignit. In eo curatu „ difficillimo interdum malo optimo cum ſuc„ ceſſu *camphoram ſuccino albo præparato & nitro combinatam* ordinavi: qva medela „ menſes in ſuos tramites inducti fuerunt, „ & protinus ceſſavit morbus elegantiori „ ſexui adeo deteſtandus „.

c) F. C. PAULLINI, cujus confectio eſt (*a*):

℞. Herb. Adianth. magn. ℥ß
Succin. alb.
Corall. alb. aa ʒiij. M. F. Pulv.

tenuis, cujus uſu cum decocto fol. Roſmarini (*b*) tres matronas a leucorrhœa libe-

---

(*z*) Miſcell. verit. medic. p. 77.

(*a*) l. c.

(*b*) Confer §. 53 c) & §. 58 No. 1. b).

ravit P. L. EBEN (*c*). Plura huc facientia compoſita remedia a variis paſſim Auctoribus commendata collegit J. ASTRUC (*d*).

CAPUT XI.

REMEDIA EXTERNA.

§. 65.

Externa qvoqve præſidia in facienda leucorrhœæ medicina neutiqvam ſunt omittenda, ut qvæ hujusmodi ſint, qvæ vel corpus ægrum ad remediorum internorum uſum aptent, vel horum ipſorum actionem promoveant, vel ſymptomata morbi egregie mitigent; imo ſæpenumero ejus ſunt energiæ, ut omnem ſola abſolvant curationem; qvandoqvidem haud raro ipſi loco affecto applicari poſſunt. Horum ergo in cenſum vel maxime referuntur

§. 66.

I. SANGVINIS MISSIO, qvæ pluribus titulis hic opitulatur. Nam proximam

(*c*) Obſ. poſthum. a J. FRANCO edit. Obſ. 19.
(*d*) l. c. §. 7. p. m. 134.

leucorrhœæ cauſam ſæpe tollit, dum copiam ſangvinis minuendo vaſis uteri potentiam confert ad minorem ſe ſe diametrum contrahendi (*e*): qvo facto oſcula arteriarum arctius contracta nil amplius transmittent. Qvod tunc in primis valet, ubi vaſorum uteri adeſt infarctus a menſibus ſuppreſſis (*f*), aut qvacunqve ſolenni alias vacuatione ſangvinis vel neglecta vel intercepta (g), aut præſente unde unde plethora. Cujus rei luculentum exemplum præbet RAULIN (*h*): puellam admodum ſangvineam ante triennium ſcorbutici totius corporis dolores cum laſſitudine ceterisqve ſcorbuti periculoſiſſimi ſymptomatis invaſerunt; catamenia minuebantur, ac plane defecere, poſtqvam ægra velut maraſmo emarcuit. Cuperatione longa ac difficili, anni tamen ſpatio peracta, menſes ſenſim rediere, ſed nec typo nec ubertate priſtina; qvam ob cauſam puella lumborum dolores, gravitatem capitis, aliaqve hic ſolennia incommoda perpetiebatur, qvæ ultra ſemeſtre aliud ex alio

(*e*) Vide §. 19.
(*f*) Vide. §. 16.
(g) Vide §. 18. g).
(*h*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 5. p. 336.

ſibi ſuccedebant: comparuit diarrhœa ſeroſa, ſed verſus octavum diem ſponte ceſſanti mox ſucceſſit copioſa leucorrhœa; hanc Væ So brachii minuit, poſteroqve die iterata citra malam ſeqvelam prorſus abegit. Interea conſveto circiter tempore catamenia rediere, qveis abſolutis 8vo poſt die diarrhœa illa prior eſt reverſa; cui perinde Væ Se ſublatæ leucorrhœa in præſenti non ſucceſſit, ſed octiduo poſt 3am catameniorum periodum copioſa iterum ingruit, qvam rurſus Væ So compeſcuit; neqve ex hoc tempore illam ſecuta eſt porro diarrhœa. Ceteroqvin vero qvoties catamenia ſolita fluxere ubertate, illis nec leucorrhœa nec diarrhœa ſucceſſit; parcius vero fluentes menſes ſemper aut alvi fluxus aut fluor albus excepit, ſibiqve ſucceſſerunt, niſi id matura Væ Se præcaveretur, magisqve ſemper puellam leucorrhœa qvam diarrhœa afflixit, fatigavit, ac debilitavit. Sic F. HOFFMANNUS (*i*) „ ſæpius obſervavit a menſtruo fluxu per 2. 3ve menſes non ex graviditate, „ ſed aliis cauſis, retento ingentem ſangvinis profuſionem obortam fuiſſe, qvam „ poſtea fluor albus excepit. Qvare ad

(*i*) l. c. §. 4.

„ utrumqve malum præcavendum Væ So, „ expenſis prius omnibus circumſtantiis, „ adminiſtrata eſt utiliſſima „. Qva ipſa in pede inſtituta, datisqve idoneis remediis, femina ERNESTI (*k*) ab leucorrhœa menſium imminutionem conſeqvente eſt liberata. Sic etiam J. H. FÜRSTENAUII (*l*) „ vetu„ la... ſeptuagenaria ... Væ Sni & ſcarifi„ cationi adſveta, utraqve vero ob ætatem „ ingraveſcentem hactenus neglecta, fluxu „ uterino fere perpetuo, eoqve copioſo, „ varii coloris, ſtriis ſangvineis diſtincto & „ fœtido correpta... addita... circum„ ſtantia, qvod fluxu iſto tantiſper retardato „ ægra mox exqviſitis dorſi doloribus expo„ ſita ſit, nauſea ceteroqvin, ciborum faſti„ dio, laſſitudine totius corporis, & ſimilibus „ ſymptomatibus perpetuo afflicta (erat). Con„ gruis remediis, purgantibus, roboranti„ bus, tonicis, mundificantibus, ex or„ dine exhibitis, ægra & redeuntem cibo„ rum appetitum, & vires alacriores, & „ fluorem nunc revera album & homoge„ neum adeſſe fatetur, & continuato debi„ torum uſu auxiliorum, ipſaqve ſcarifi-

(*k*) Vide §. 16.

(*l*) Act. nat. cur. Vol. 9. Obſ. 96. p. 375.

„ catione poſtliminio reaſſumpta priſtinum „ vigorem . . . propediem exſpectat „. Neqve vero ſolæ hæ ſunt hujus vacuationis utilitates; valet qvippe etiam, indicataqve eſt admodum, ad dolores (*m*) a vaſorum humoribus turgentium diſtentione, eiqve ſæpe comite inflammatione ortos ſopiendos, id qvod ægræ BURGGRAVII (*n*) ac STÖRCKII (*o*) teſtantur. Contra vero ſangvinis miſſio, monente L. RIVERIO (*p*), vetuſto in morbo locum vix habet, ubi ſigna exhauſtionis & cachexiæ in hydropem tendentis præſto ſunt. Unde etiam medici Vratislavienſes (*q*) hoc de morbo agentes „ V. S. (inqviunt) vix celebravimus, etiamſi „ eam vehementer laudet SYLVIUS; qvia „ fere medicam opem implorant noſtrates „ viribus jam dejectis, & tabe corporis immi„ nente, aut præſente cachexia hydropis „ matre „.

(*m*) Vide §. 5. No 1.
(*n*) Vide §. 45 No 1.
(*o*) Vide hiſtor. 10.
(*p*) l. c.
(*q*) Hiſt. morb. Vratisl. A. 1700. p. m. 168.

§. 67.

§. 67.

2. FRICTIONES *ſiccæ*, primum molliores, dein aſperiores ad vaſa laxa roboranda, infarctusqve diſſipandos, qvas ſua in ægra GALENUS (*r*) cum fructu inſtituit, præſertim in laxis corporibus, ſunt admodum proficuæ. Uti &

§. 68.

3. LITUS ſeu frictiones cum fluidis factæ. „ Decantatum eſt, inqvit M. ETTMÜLLERUS (*s*), hoc ungventum euporiſton ex ſclarea, de qvo CORBEIUS (*t*): „ mulier (ait) qvædam liberavit multas feminas ab albo fluxu
„ ℞. Sclaream contritam, in
Butyro ſinito putrefieri: tunc coqve parum & ſerva. Hoc ungvento mulieris ventrem ab umbilico ad pubem uſqve inunxit, immittendo ſimul parum in vulvam; & comedat qvoqve herbam ipſam „.

(*r*) Vide hiſtor. 1.
(*s*) l c. p. 952.
(*t*) Gynæcior. L. 1. C. 3.

§. 69.

4. FOTUS qvoqve interdum ad locum ipſum applicare licet, eo videlicet in caſu tantum, ubi uteri ſimul adeſt prolapſus (*u*); pro cujus varia affectione varii etiam fotus locum habeant, oportet, nempe abſtergentes, mundantes, humorem, ſi acer eſt, diluentes & enervantes, dolorem pacantes, excoriata loca vel ulcera præſentia mundata perſanantes, amiſſum utero tonum reddentes, &c. at in poſtremo hoc non ſine circumſpectione eſt verſandum (*x*). Qvantæ autem efficaciæ id genus fotus memorato in caſu ſint, docet inſignis obſervatio H. A. SCHAEFFERI apud J. F. HENCKELIUM (*y*), nempe ſacri Præconis uxor 30 annis major, ſana nubens, primo partu puerperioqve rite defuncta in leucorrhœam incidit admodum moleſtam, præcipue ſi menſes ordinate non procederent; qvæ ſi qvando diutius perſtabat, ſenſit, maxime ſub labore ponderumqve elevatione, qvidpiam e vulva egredi,

(*u*) Vide §. 35. A, b).
(*x*) Confer §§. 5`. 56.
(*y*) Neue medic. u. chir. Anmerkungen I Samml. No 19. p. 118. ſqq.

at ſola iterum capta in lecto qviete evaneſcere. Seſqvianno poſt alterum gravida optime rurſus valuit, nec prolapſu, nec leucorrhœa, niſi noviſſimo ante partum tempore, reverſa. Puellam enixa eſt ſanam. Inde prioribus qvidem obnoxia fieri malis cœpit; at marito e phthiſi decumbente plus qvietis nactæ ambo iterum ſenſim ita remiſere, ut demum optime ſe haberet. Marito elato fratri ejusdem nupſit. Sed ſterilis facta, leucorrhœæ poſt aliqvot a nuptiis menſes recidivam eſt perpeſſa, a qva cauſato iterum ſæpe prolapſui ſemper qviete in lecto medebatur. Tandem leucorrhœa evaſit excorians, ſub qva cum mulier denuo arcas aliaqve ponderoſa levaret, prolapſum rurſus nacta eſt, at multo qvam alias majorem, nec amplius lecti qviete curabilem, qvi relicto poſtea lecto & plus increſcens & dolentior factus, ægramqve incedere non ſinens, ipſam ad opem remediaqve, hactenus uſurpata nunqvam, qværenda compulit. Uterus totus extra vaginam prolapſus reperiebatur, tumore caput infantis trimeſtris æqvans, ſordidis plenus undiqve ulceribus cum labiis admodum calloſis, & effluxu fœtidi puris ex uteri orificio, ut carcinoma eſſe videretur. Idcirco primis 8 diebus ulcera 12ma qvavis hora linimento balſamico

(℞. Balſ. de Styrac. ℥ij
——— Copaiv. ℥j
Liqvam. Myrrh. ℥iij
Vitelli. ovor. N° ij. M. applicetur calide) deligata, ſuperimpoſito fotu, omni hora repetendo, ex aromaticis amaris ſubadſtringentibus & adſtringentibus herbis radicib. corticib. in vino rubro & aceto, parato, tam calido, qvantum ægra ferre potuit, lataqve faſcia literam T referente omnia communita. Diæta ſevera cum regimine imperata. Inde non dum 8 diebus lapſis ulcera mundabantur, imminutoqve ab adhibitis diligenter fotibus uteri tumore & inflammatione mulier ita ſenſim convaluit, ut priſtinam ad molem uterus redactus, repoſitusqve, ac peſſario firmatus haud amplius prociderit. Leucorrhœa toto curationis tempore durans, & qvotidie inter deligandum aliqvatenus obſervata, peculiaribus remediis haud egebat; namqve conſanato repoſitoqve utero mox deſiit, menſesqve rite proceſſere. Curationis ſucceſſum adjuvit factum poſtmodo divortium, ut ita plus qvietis ægra corpori genitalibusqve præſtare qviverit. Interna remedia nulla alia præter pilulas balſamicas bis per hebdomadem data, & in fine præſcriptum elixir roborans

℞. Elix. viſceral. HOFFM. ℥j.
Eſſent. Aurantior.
——— Caſtorei aa. ʒij.
TRæ ♂ c. ſucc. pom. ℥ß. M. S.
ter qvaterve per diem gtt. 60 ex ▽a. Ubi autem uteris non elapſis id genus fotus applicari neqveunt, ibi vicariam iis operam eadem cum utilitate præſtant fotus pubi admoti, vel vero

§. 70.

5. SUFFITUS in cavum uteri idoneis inſtrumentis immiſſi. „ Neqve nihil, inqvit „ R. MEAD (z), ad ſanationem confert vaginam ſubinde ſuffumigare, ſuperinjecto „ nimirum prunis pulvere ex thure, maſtiche, ſuccino, & cinnabari ♁ii ita commiſtis, ut ſingulorum æqvalis ſit portio „. Multum iis etiam confidit F. HOFFMANNUS (*a*) dicens: „ in inveterato fluore albo „ ſiqvid adhuc cura finita de fluido ex genitalibus exſtillat, præter jam dicta externa & interna ſuffitus ex olibano, tacamahaca, maſtiche, & ſuccino merentur lau-

(z) l. c. p. m. 140.
(*a*) l. c. §. 7.

„ dari, qvæ viæ ad uterum tendenti com-
„ modo inſtrumento ſunt applicanda: qvo-
„ dammodo enim relaxatas glandulas ro-
„ borant „. Confirmat id ſeqventi caſu (*b*):
„ femina 20 annos nata, conſtitutionis qvoad
„ corpus tenerioris, qvoad animum valde
„ ſenſibilis, cibis dulcibus, fructibusqve
„ horæis, & lacticiniis nimium indulgens,
„ vitamqve amans ſedentariam, a primis
„ adoleſcentiæ annis perpetuo fere viſcidi
„ muci per nares ſtillicidio laboravit. In
„ conjugio primum gravida partu functa eſt
„ admodum laborioſo, idqve propter paulo
„ vehementiorem ſecundinarum extractio-
„ nem, & inde obortum dolorem valde
„ acutum. Neqve dein lochiorum fluxus,
„ ut debuit, ſucceſſit, ſed omnino fere ſubſti-
„ tit: unde in febrem incidit optima mulier
„ valde acutam; a qva tamen brevi poſt
„ convaluit. Retinuit vero ab infelici hoc
„ puerperio magnam uteri atoniam, & per-
„ petuum fere ſeri albicantis & putridi ex
„ ſinu ejus profluvium, qvod poſt menſium
„ effluxum ſemper infeſtat gravius. His
„ accedunt adhuc aliæ rectæ valetudinis læ-
„ ſiones; nam a frigore admiſſo vel flatu-

(*b*) Ibidem Obſerv. 5.

„ lento cibo aſſumpto aut a levi qvadam „ animi commotione dolore lumborum afficitur valde gravativo; macilenta in dies „ magis redditur; & veſperi inferiores pe„dum partes tumidæ conſpiciuntur. Dura„runt ſingula hæc mala per integros 6 men„ſes: qvare ne his pejora adhuc eveniant... „ conſilium dedi, ut per 3 continuos dies „ pilularum mearum balſamicarum No 15 „ circa decubitum, poſtero die vero mane „ doſis pulveris ſalino-nitroſi ſumatur, id„qve aliqvoties, interpoſitis ſemper ali„qvot diebus, repetatur. Pro potu præ„ſcripſi decoctum maſtichinum cum pauxil„lo cinnamomi acuatum & inter cibos cum „ vino remixtum. Ad uterum roborandum „ exterius commendavi ſuffumigia ex ſanda„raca, maſtiche, benzoe, & cinnabari „ vulgari confecta; ſæpiusqve ingvinali re„gioni imponendos ſvaſi ſacculos herbis „ nervinis repletos & ex vino rubro co„ctos: interne vero eodem fine balſamum „ noſtrum vitæ cum TRa ♃ri æqvali portio„ne remixtum cum infuſo theiformi mane „ exhibere juſſi. Qvæ methodus, ſubjun„cto ſimul accuratiori vitæ regimine, opem „ attulit exoptatiſſimam „. Perinde J. P.

LOTICHIUS (*c*) matronam juvenem, præſcripta pro aliqvot diebus tragæa (℞. ℥ h. potentill. capill. vener. aa. ʒij. ſ. plantag. maj. corall. alb. aa. ʒß. nuciſt. garyoph. aa. ℈ij. eſſent. citri ℈j. ſacch. roſ. tab. man. chr. perlat. aa. ℥ß) ex ▽ª plantag. & vino q. ſ. ſumenda, imperatoqve, ut m. & v. foliis ſalviæ ſuper prunas injectis ſuffitum locis naturalibus intra veſtes exciperet, intra octo dies ab leucorrhœa totos ferme dies moleſtante, ſterilitatemqve cauſante, liberavit. Haud ſecius J. A. a GEHEMA (*d*) ſterili feminæ, ob menſes ab inito matrimonio anomalos & leucorrhœam, conſuluit, ut ⊖* & ciner. clavellatos æqvis partibus in ▽ª ſolutos prunis injiceret, fumumqve exciperet. Qvo aliqvamdiu factitato, poſt 13 annorum ſterilitatem vix anno lapſo gemellos concepit. Multum qvoqve hæc ſuffumigia profuerunt ægrotæ NIZETI (*e*).

§. 71.

6. INJECTIONES *uterinæ* vel *elutiones* amplioris etiam ſunt uſus, qvarum ope

---

(*c*) Obſ. med. L. 5. C. 1. Obſ. 12. p. 452.
(*d*) Obſ. med. decad. 1. obſ. 6.
(*e*) Vide §. ſeq.

qvæcunqve a morbi principio ad finem uſqve indicantur, ipſi affecto loco poſſunt applicari. Præcipuus autem earum uſus eſt ad acrimoniam profluentis materiæ obtundendam, dolorem ardoremqve ſopiendum, eroſa excoriata ulceratave ſananda, pus pravum corrigendum, inſecta, ſiqva adſunt, necanda, amiſſumqve uteri tonum reſtaurandum, ac fluxum pertinacem ſiſtendum. Hinc pro varietate horum adjunctorum variæ perinde injectiones locum ſibi depoſcunt. „ In genere vero, inqvit F. HOFFMANNUS (*f*), „ illud notandum arbitror, qvod tales injectiones non ſimul ac ſemel & magna „ qvantitate, ſed crebrius & in refracta portione, ad unciam ſcil. j. vel ij. adhiberi „ debeant. Vitanda autem ſunt omnia ſalſa, acria, nimis pingvia & lubricantia „. Ubi itaqve dolorificæ genitalium vaginæ uterique eroſioni ope earumdem proſpiciendum eſt, lac aqva dilutum optimo cum effectu injicitur. Sic STÖRCKII (*g*) in ægris „ ulterior partium corroſio facillime evitabatur, dum ſæpius per diem materies acris „ & in plicis ſtagnans anatica parte lactis „ recentis & ▽æ roſarum abluta fuit, &

(*f*) l. c. cautel. §. 2.
(*g*) Ann. med. 2. p. 212.

„ dum plagæ arroſæ excoriatæ poſt ablutio-
„ nem ungvento inunctæ ſunt

℞. Ungv. nutrit. ℥ iij
—— popul. ʒjß. M.

Si qvid autem venerei hocce in malo eſt admiſtum, utiliter, exemplo HEISTERI (*h*), liqvor ex ▽æ Calcis vivæ ℔. j cum ☿ dulc. ℈j immittetur. Si vero inſecta neſcio qvæ uteri in cavo nidulentur, blandis anthelminticis necanda erunt. Sic narrat TH. COCKSON (*i*), matronam 27 annorum, ſemper ante ſanam, a trimeſtri ea affligi cœpiſſe fœditate, ut 3. 4ve ante catameniorum fluxum diebus lumborum dolorem ſolito acriorem ſentiret cum profluvio materiæ virideſcentis peſſimeqve fœtentis ex utero, donec ſangvis erupiſſet. Ab hujus autem leucorrhœæ principio ad finem uſqve ipſorum menſium copioſos ſimul excernebat vermiculos vivos, exiguos, junioribus ranis caudatis non abſimiles, qvippe qveis pro ratione caudæ minimæ grande fuerit caput, & qvi inter digitos contriti fœtorem materiæ ex utero ante menſes profluentis ſpargebant. Ab hoc

(*h*) Vide §. 50

(*i*) Medic. Commentar. von Edinburgh 3 Th. 1 St. 2 Abſchn. No 4 p. 88. ſq.

malo tandem facta decocti e flor. chamom. & abſinthio cum oleo olivarum bis in dies per 3 hebdomadas injectione mulier citra recidivam convaluit. Si deniqve ulceratio uteri adfuerit, velut diuturnitate morbi haud raro accidit, injectiones hæ ſunt admodum neceſſariæ, a qveis F. HOFFMANNUS (*k*) „ vidit ... in fluore albo inveterato, qvi „ difficulter alias ſanabilis eſt, nec non in „ abſceſſibus & exulcerationibus peculiarem „ plane effectum „. Conveniunt autem hic vulneraria cum leniter adſtringentibus; etenim teſte R. MEAD (*l*) „ externa ... minime adhibere oportet, qvæ nimia vi „ peccantem humorem reprimunt, ac repellunt; illa tantum ſunt ex uſu, qvæ membranæ hujus ulcuſcula detergent ſimul & „ ſanant. Ipſe eventu ſæpe feliciſſimo feminam laborantem, aut ▽am aluminoſam „ Bateanam, aut ▽am vitriolicam camphoratam, adjecto alterutri mellis Ægyptiaci „ aliqvantulo, per ſyringem hujusmodi uſibus aptam parva qvantitate, at repetitis „ vicibus, infundere juſſit „. Sæpenumero etiam injectiones idoneæ ſuffituum efficaciam

(*k*) l. c.
(*l*) l. c.

magnopere promovent, curationemqve accelerant, cujus rei exemplum perqvam luculentum literis mandavit Cl. NIZET de VARENNES (*m*), videlicet matronæ ultra biennium leucorrhœam debilitantem negligenti tandem intolerandi dolores punctorii in utero oborti ſunt cum ſignis uteri ulcerati. Conſilium petenti imperabantur, ſub uſu ſolorum tantum juſculorum per aliqvot dies, ſuffitus e pulveris benzoes, ſtoracis calam. olibani, reſin. juniperi, maſtichis, myrrhæ, aſæ fœtidæ, aloes, ſuccini aa. ʒj, & ſimul conciſis roſmar. ſalv. abſinth. calaminth. thymi, ſerpilli, matricar. chamom. marrub. n. ocymi, roſar. rubr. gran. junip. aa. ℥ß ſæpius per diem (*n*) ope machinæ ad id confectæ (*o*) adminiſtrandi. Poſt 14 dies decreſcentibus doloribus cum ægra longe melius valeret, ad accelerandam curationem commendatæ ſimul injectiones vulnerariæ & adſtringentes, qvæ una cum ſuffitibus malum intra breve tempus ſuſtulere. Matrona inde enixa eſt filium hucuſqve ſanum.

(*m*) Neuſte Heilkunde aus dem Franzöſ. der Herren BÜCHOZ u. MARQVET C. 8. §. 2. p. 158. ſq.

(*n*) Ibidem §. 1. p. 153.

(*o*) Ibidem p. 150. ſqq.

§. 72.

7. BALNEA, *ſemicupiaqve* ſuperſunt, qvæ perinde naturam remediorum interne indicatorum habere debent, iisdemqve, ut iſta, cum cautelis ſunt adminiſtranda. Unde ſuapte liqvet, balneis calidis ▽æ ſimplicis in leucorrhœæ curatione vix unqvam, niſi illa a vaſorum rigiditate forſan ortum traheret, locum eſſe poſſe; eo qvod majorem uteri vaſis atoniam inducant, & qveis GALENI (*p*) ægra non impune uſa eſt. Horum itaqve loco multo magis indicantur

A. *Diaphoretica* balnea debito tempore in uſum vocanda, cujusmodi ſunt vaporaria. Etenim teſte F. HOFFMANNO (*q*) „ balnea ſicca ſive *laconica*, ſi a ſuperfluo „ & excrementitio humido corpus prius „ probe liberatum fuerit, in feminis phle„ gmaticis uſum omnino habent laudatiſſi„ mum, dum externo calore ſudorem eli„ ciendo partibus, ob excretam nimiam hu„ miditatem relaxatis, priſtinum tonum ex „ voto reſtituunt „. Idem etiam præſtant

B. *Thermæ ſulphureæ*, qvæ ſimul abſtergunt, diſcutiunt, ac valide exſiccant.

(*p*) Vide hiſtor. I.

(*q*) l. c. §. 5.

Eapropter „ balnea Badenſia & Rodanenſia „ qvandoqve mira præſtant„ inqvit STÖRCKIUS (*r*), ubi remedia interna non ſufficiunt.

C. *Roborantia*, *adſtringentia*, ſub finem morbi, poſt omnia alia remedia rite præmiſſa, fluxum nihilominus pergentem, ob vaſorum uteri atoniam, ſola ſæpe ſiſtunt; recidivam morbi præcavent; menſesqve in ordinem redigunt. Qvorum uſum v. RIEDLINUS (*s*) interdum ita eſſe obſervavit neceſſarium, ut ſine illo incaſſum balſama, martem, aliaqve interna præbuerit. Cujusmodi in primis ſunt

a) *Herbacea* e plantis aromaticis confecta, qvorum efficaciæ multum tribuit F. HOFFMANNUS (*t*), qvam ſeqventi in caſu eſt expertus: „ femina 30 & aliqvot „ annorum, macilenta, poſt abortum 3tia „ vice paſſum per annum & ultra fluore albo „ correpta fuit ſatis moleſto, menſibus „ inordinate & interdum largiter profluentibus. Ordinavi pilulas . . . balſamicas „ circa tempus decubitus per triduum de-

(*r*) l. c. p. 213.
(*s*) Lin. med. ann. I. Junii 7. p. 164.
(*t*) l. c. Obſerv. 3.

„ voraudas, deſuper bibendo poſtero die „ mane vinum laxativum uterinum ad 3 „ circ. uncias. Iiſdem diebus immittendam „ duxi ægram balneo aqvæ dulcis cum her- „ bis roborantibus, ſacculo incluſis, de- „ coctæ, temporeqve inſeſſus ſacculum hunc „ ingvinali regioni imponendum. Interje- „ cto trium dierum intervallo priſtinam cu- „ ram per totidem dies repetendam ſvaſi, „ idqve rurſus 3tia vice, hac tantum cau- „ tela, ut ſub qvavis cura novæ herbæ „ pro balneo ſumantur. Deniqve uterum „ thure, maſtiche, & ſuccino incenſis „ commendavi ſuffumigandum, rectamqve „ vitæ rationem per longum adhuc tempus „ continuandam injunxi. Qva methodo, „ qvum non modo per alvum, ſed per ute- „ rum qvoqve ingens humorum ſentina „ fuerit expurgata, optima hæc femina, „ ſicut plures aliæ pertinaci & moleſtiſſimo „ hoc affectu laborantes, priſtinam recupe- „ ravit ſanitatem „. Eodem cum ſucceſſu id genus balnea ſua in ægra expertus eſt MÜNNICH (*u*).

(*u*) Vide hiſtor. 6.

b) *Mineralia* plumbata, ferrata, aluminoſa, &c. RAULINI (*x*) matronæ 40 annor. temperamenti bilioſi, a variis animi motibus diuturnis haud parum emaciatæ functiones turbatæ leucorrhœam accivere; a qva uſurpatis per menſem legitimo ſub regimine balneis plumbatis (les bains Plombieres) liberata eſt. Alia (*y*) qvoqve matrona melancholici temperamenti ſolo perinde harum thermarum potu inſeſſuqve per 2 æſtates uſurpatis a bienni leucorrhœa convaluit. Omnium tamen cautiſſime cum balneis aluminoſis eſt mercandum, ut qvæ non ſatis circumſpecte adhibita plus noxæ qvam emolumenti adferre viſa ſint. Sic „ nota nobis, ajunt Vratislavienſes (*z*), „ eſt egregiæ ſpectatæqve formæ mulier, „ qvæ cum nihil intentatum reliqviſſet, ut „ a fluore albo, qvo per multos annos „ laborarat, liberaretur; tandem virtutem „ balnei aluminoſi experiri ſtatuit: unde „ ſuppreſſus qvidem fluxus eſt, ſed infauſte „ admodum; ſucceſſit enim ulcus circa ori- „ ficium uteri moleſtiſſimum, qvod ægerri-

(*x*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 3. p. 300.

(*y*) Ibidem C. 5. p. 342.

(*z*) Hiſt. morb. Vratisl. A. 1700. p. 169. ſq.

„ me

„ me admiſit medelam. Hac vero poſt
„ longi temporis patientiam obtenta ſecutæ
„ ſunt hæmorrhoides cum ſummis tormini-
„ bus conjunctæ, non ſine ſuſpicione exul-
„ cerationis inteſtini recti, qvæ circa ſingu-
„ las lunæ phaſes cum ſedibus freqventibus
„ non ſine exqviſitiſſimis doloribus totius
„ abdominis, turbas dant maximas, ac
„ ægram in tabem conjiciunt, ex qvibus
„ malis hactenus nulla arte potuit eluctari„.
Triſtior hocce etiam eſt caſus G. C. WINCLERI (*a*), cujus Ill. „ perſona . . .
„ 25 annorum, conſtitutionis calidæ & ſic-
„ cæ, dum virgo adhuc eſſet, ſæpius & ſin-
„ gulis, dum haberentur, diebus comede-
„ re ſolebat fructus 4 melonum integros,
„ ſuperbibens aqvam fontanam frigidam,
„ & balnea in aqva frigida nocturno tem-
„ pore inſtituit . . . Unde poſt matrimo-
„ nium contractum, mutato aere & vita
„ cœlibe, abſceſſus ſub axilla dextra prod-
„ iit, qvi apertus, mundificatus, & ſana-
„ tus eſt. Poſtmodum ſcabie ſicca laborare
„ cœpit, adjuncto fluore . . . albo. Cum
„ itaqve horum malorum pertæſa, & ſimul

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 6. obſ. 103 p. 141. ſq.

„ prolis habendæ amore arderet . . . .
„ curæ medicaſtræ nefandæ ſe concredidit,
„ qvæ adhibitis balneis adſtringentibus e
„ vitriol. alumin. &c. repulit humores pec-
„ cantes per fluxum album & ſcabiem ex-
„ cretos, qvi regurgitantes ad ſuperiora
„ 3tio ſtatim die ſcrophulas in collo ab
„ utroqve latere magnas, parvis ſubſeqven-
„ tibus, produxerunt. Hinc tuſſis valida
„ oborta, materia ſc. acri & craſſa ad pulmones
„ delata, qvi illa infarcti tandem putredine
„ affecti & exulcerati; unde febris putrida
„ cum hectica acceſſit, vireſqve magis ma-
„ gisqve dejecit. Expectorationes erant
„ purulentæ cum ſangvine miſtæ, ita ut
„ conſummata inde phthiſis, qvidqvid de
„ . . . medicamentis . . . adhibitum, ſe-
„ qveretur, cui propter nimium potum
„ (propter calorem p. n.) etiam hydrops
„ conjungebatur, & tandem mors placida
„ ſeqvebatur, cum per ſeſqviannum cum
„ hiſce malis conflictata eſſet. Ubi & hoc
„ notandum duxi, qvod HIPPOCRA-
„ TES (*b*) dicat: *qvibuscunqve tabidis e*
„ *capite una capilli defluunt, ii diarrhœa*
„ *ſuperveniente moriuntur.* Hæc vero per-

(*b*) Sect. 5. aphor. 12.

„ ſoua Ill. præſenti capillorum defluvio ſæ-
„ pius vexabatur diarrhœa, & qvidem ſa-
„ tis enormi, dejiciens ſemper ſerum mul-
„ ta bile tinctum, ita ut prima vice terro-
„ rem omnibus incuteret, & mors propter
„ vires debilitatas exſpectaretur. Sed ex-
„ hibitis remediis confortantibus . . . &
„ hac & aliis vicibus ab ea evaſit, ita ut
„ recuperatis viribus eam ipſi emolumento
„ fuiſſe animadvertere licuerit „ &c. Eundem caſum etiam deſcripſit 4 annis ante P. J. SACHS (*c*). Ex his ergo patet, qvam prompte ab his balneis etiam contumax, ne dum recens, ſubſiſtat fluxus, & qvid e præmature ſuppreſſo malorum pullulare qveat.

c) *Frigida* in aqva vel ſimplici vel marina, ubi nimia vaſorum laxitas morbum pene incurabilem fovet, ſunt tantæ efficaciæ, ut J. FLOYER (*d*) memoriæ prodiderit, in BAYNESII tentaminibus raro vel nunqvam fefelliſſe. Et R. WHYTT (*e*)

(*c*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 2. ſchol. ad obſ. 26. p. 49.

(*d*) Pſychroluſiæ p. m. 221.

(*e*) Sämmtl. zur pract. Arzn. gehör. Schriften p. m. 528.

„ vidit leucorrhœam poſt omnia qvæqve „ remedia incaſſum data ſolo fere balnei „ marini uſu fuiſſe curatam „. Hæc de balneorum varietate. Injectionum loco balnea uſurpari poſſe, nemo, opinor, ambiget; etenim fluida cum ad libellam ſe componant, fieri neceſſe eſt, ut corpore in aqvas umbilico tenus immerſo illæ ad uteri uſqve fundum per vaginam perveniant: qvod ut eo etiam eveniat certius (ſi forte vel genitalium vel orificii uteri arctiora obſtarent clauſtra), non abs re ſvaſor eſt B. SILVATICUS (*f*), ut indito vaginæ cylindro perforato expeditior aqvis balnei in uterum via præſtetur.

§. 73.

8. FONTICULI, *ſetaceaqve* etſi ad morboſam materiam ex uno loco in alium avocandam longe ſint efficaciſſima, eaqve Vratislavienſes (*g*) iſthic etiam commendent, admodum tamen raro & medentibus in mentem veniunt, & ab ægrotis admittuntur,

---

(*f*) l. c. Cent. 3. No. 21. p. 216, Cent. 4. No. 9. p. 302.

(*g*) Hiſt. morb. Vratiſlav. l. c.

qvæ maximam partem delicatulæ ſunt, ac tormenta id genus chirurgiæ maximopere exhorreſcunt, qvaſi vero plus in hiſce crudelitatis ac doloris, qvam in leucorrhœa moleſtiæ fœditatiſqve reperiretur. In primis vero præclare hæc præſidia proſunt in illo leucorrhœæ genere, qvod rheumaticam aut catarrhalem indolem ſapit; qvam in rem illuſtrem obſervationem ſuppeditat F. HILDANUS (*b*), nempe matronæ ad 30 annos habenti, robuſtæ, continuam cephalæam crebrasqve ophthalmias expertæ demum in dextri oculi cantho fiſtula lacrimalis eſt oborta; ad qvam fere biennium jam durantem perſanandam cum poſt catharſin aliaqve univerſalia, nec non qvotidianum collyrii uſum, nuchæ ſetaceum fuiſſet inditum, cephalæa non multo poſt, ac fiſtula lacrimalis intra 4 menſes, prorſus ſublatæ ſunt, nec ophthalmia amplius revertit. Setaceum in triennium geſtavit, donec ſponte ſua (ut interdum fit) conſanatum fuiſſet ulcus. „ Laboraverat autem (qvod anno-„ tatione dignum eſt) matrona illa per an-„ nos aliqvot fluxu muliebri aut menſtruis

(*b*) Obſ. & cur. med. chir. Cent. 4. Obſ. 13. exempl. I.

„ albis: qvamobrem nunqvam utero geſta-
„ verat; adhibito vero ſetaceo paulatim
„ remiſit fluxus, ac paulo poſt concepit
„ ac filiam peperit, qvæ etiam nunc cum
„ aliis liberis, qvos deinceps progenuit,
„ vivit, ac optime valet „. Perinde ad præcavendam leucorrhœæ recidivam ZACUTUS (*i*) in crure ſuæ ægrotæ fonticulum excitari juſſit. Pulchre his etiam congruit obſervatio STORCHII (*k*).

§. 74.

9. AMULETA, *tranſplantationes*, & qvibus per ignorantiam credula ſuis in miſeriis humana induſtria ſpecioſum vel ſympathiæ vel antipathiæ nomen indidit, perinde in fœdo hoc juxta ac pertinaci ſæpe ad rationalia præſidia morbo pertentata ſunt. Sic P. GRÜLINGIUS (*l*) „ colonus Hon-
„ ſteinenſis . . . mihi (ait) narravit, qvod
„ coſta ſua eodem malo ultra annum la-
„ boraſſet, & multos Medicos conſuluiſ-
„ ſet, ſed omnia fuiſſent irrita. Tandem

(*i*) Vide §. 49.
(*k*) Vide hiſtor. 13.
(*l*) Obſ. & cur. medic. Cent. 3. Obſ. 23.

„ vetula qvædam ſvadet, ut ſumeret lin-
„ teum, & exciperet fluorem uterinum,
„ eundemqve ſuſpenderet in fumarium.
„ Qvo facto fluxus muliebris fluere deſiit,
„ & ſic hæc mulier ab omnibus ſymptomati-
„ bus liberata eſt „. Succeſſus id genus curationum, ut alias oſtenderam (*m*), non tam ab ipſa medendi methodo remediiſqve nihil rationis habentibus, qvam ab animi motibus occaſione curationis obortis, totumqve ſyſtema nervoſum magnopere mutantibus, eſt repetendus.

CAPUT XII.

DIAETETICVM REGIMEN.

§. 75.

I. ALIMENTA, ſi ullo uſpiam in morbo, in leucorrhœa profecto vel maxime religioſum expoſcunt delectum, adeo ut iſto ſolo aut prætervifo aut neglecto morbus ſæpenumero nulla alia arte ſit expugnabilis. Duo autem præ primis hic erunt præ-

(*m*) Hiſt. febr. intern. Vol. 1. P. 2. §. 136.

ſtanda, ac primum qvidem, ut alimenta ſint cauſæ morbi, tum vero ipſi etiam morbo, oppoſita, vimqve poſſideant medicamentoſam. Utriusqve plana eſt ratio. Nam cum leucorrhœa haud raro ab indigeſtione, cui ipſa plerumqve ingeſta occaſionem præbent, oriatur (*n*), aut certe foveatur; evidens eſt, ſi iiſdem porro utaris alimentis, foturam te cum cauſam morbi tum ipſum qvoqve morbum: contraria igitur hic agenda erunt, aſſumendaqve alimenta ſpectata & indole & copia facile digerenda. Medicatam vero ſimul habebunt indolem, ſi alvi urinæqve excretionem facilitent, ſi perſpirationem promoveant, ſi acrimoniam enervent, ſi putredini reſiſtant, roburqve ſolidis adaugeant, ac digeſtionem emendent, &c. Summi in arte viri acerrimo ſemper oculo ad diætam reſpexere, ut ex eorum paſſim hocce in libello allatis obſervationibus videre eſt, idqve uſqve adeo, ut a curato etiam morbo diu adhuc exqviſitam diætam tenendam imperarint, qvos inter in primis F. HOFFMANNUS (*o*) rem ſuis ægris ſtudioſe inculcabat; neqve id imme-

---

(*n*) Vide §§. 12. 53.
(*o*) Vid. §. 35. B. 1). §. 72. C. a).

rito: nam E. G. STAHLIO (*p*) „ nota „ ſunt exempla, puellas interdum ſatis diu „ a fluxu albo (curato) manſiſſe immunes; „ ut primum vero lac ſumpſere, continuo „ recidivam fuiſſe paſſas „. Ideo vetat ille lacticinia, pingvia, flatulenta, &c. Qvantum vero hic vel ſoli alimentari diætæ rite obſervatæ tribuendum ſit, docet RAULINI (*q*) caſus, nempe matrona robuſta ac ſana, vita ab infantia ad nuptias uſqve in cœnobio exacta, primis matrimonii annis (20 annos nata) repente contrariam priori vivendi rationem occepit, potui Theæ, Caffe, Chocollatæ, vini, ſpirituoſorumqve, ſaltui, vigiliis, &c. indulgens. Unde ſomnos inqvietos, alvi conſtipationem, ardorem urinæ, æſtum internum, puſtulas in facie totoqve corpore, & acerrimam leucorrhœam ſibi accerſivit. His malis oppoſitæ Væ Ses, balnea, & ordinatum vivendi regimen. Alimenta blanda & humectantia, ptiſana cum avena & lactuca parata, potus aqvæ hordeatæ, tenuis limonatæ, &c. uſusqve lactis primum aſinini dein caprilli, imperatus; alvus libera ſer-

(*p*) l. c. Caſ. 69 reſol. p. 675.
(*q*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 1. p. 232.

vata, & ſub finem cathartica ex intervallis exhibita. Qvibus effectum eſt, ut ſymptomatibus omnibus pedetentim diſparentibus leucorrhœa qvoqve deſierit. Inde matrona obſervata porro legitima vivendi ratione concepit, ac ter ex ordine robuſtam enixa ſobolem ſana in poſterum vixit.

§. 76.

2. VENERIS *uſus* moderatus vel nullus, ſaltem pro aliqvo tempore. Namqve ſuperius (*r*) exemplis docuimus, neonuptas haud raro ab immoderato veneris uſu in leucorrhœam incidere, licet nunqvam antehac illam expertæ ſint, ibidemqve etiam e RIEDLINO vidimus, fœditatem hanc ſola infreqventia concubitus pene fuiſſe abolitam: unde patet qvantum ad curationem hujus mali conferat relictus (ſaltem aliqvamdiu) veneris uſus. Idcirco etiam Ill. practicus Italus R. FONSECA (*s*) pro matrona Veneta leucorrhœam patiente conſultus, inter cetera diætetica præcepta „ abſ„ tineat (inqvit) a coitu toto prægnati-

(*r*) Vide §. 14.
(*s*) l. c. Tom. 2. Conſult. 52. p. m. 287. ſq.

„ onis tempore . . . poſt partum etiam „ abſtineat per 2 menſes a congreſſu viri, „ ut curari poſſit „. Verum qvidem eſt, aliqvando leucorrhœas admiſſo viro fuiſſe ſanatas, cujusmodi exemplum refertur in Annalibus Vratislavienſium (*t*) de femina, qvæ poſt congreſſum cum viro, tametſi impraegnata non fuerit, ab leucorrhœa nihilominus ex integro liberata; perinde J. N. PECHLINUS (*u*) „ narravit mihi (ait) „ femina fidei probatiſſimæ ſibi, cum virgo „ eſſet, menſtruis cum luna euntibus fluo- „ rem plerumqve ſucceſſiſſe album, fruſtu- „ lis craſſioribus & inſtar albuminis ovi „ coꝯti comitatum, neqve ante deſiiſſe „ hoc vitium (ſi ita vocandum eſt, qvod „ ſine ulla valetudinis labe corpus ſuccu- „ lentum occupabat), qvam cum viro con- „ ſveſceret; tum enim ſuppreſſo illo fluxu „ menſtrua ſola ordine profluxiſſe. Illa ta- „ men ipſa, cum aliqvando rei novitatem „ ſtuperet, ex grumulis, qvi naturam atqve „ interfemineum inqvinare ſolebant, unum „ manibus oculisqve exploravit, reperitqve

(*t*) Tent. 31. A. 1725. Januar. Cl. 2. art. 2. p. 25. ſq.

(*u*) Obſ. phyſ. med. L. 1. Obſ. 21. p. 49. ſq.

„ materiam albo ovi cocto plane ſimilem; „ cumqve curioſitate ducta digitum ori ad- „ moviſſet, tam perdite acrem, ut qvovis „ lixivio certare poſſet, infectumqve os fri- „ gida diluere neceſſe haberet „. Sed id genus leucorrhœæ plerumqve ab ipſa domeſtica ſolidorum humorumqve citra ullam fere cauſam externam diſpoſitione proficiſcuntur, qvam interdum facta inſignis aliqva corporis mutatio aut ſyſtematis nervoſi commotio abolere conſvevit, qvo facto etiam ipſe fluxus conqvieſcit. Id ipſum jam E. G. STAHLIUS (*x*), vir acer omino ac penetrantis judicii, animadvertit, dicens: „ illud ſem- „ per certum eſſe ab experientia comperi, „ nihil in leucorrhœæ, qvacunqve me- „ dendi methodo tentatæ, curatione dura- „ bile obtineri, niſi ipſa vivendi ratio etiam „ pro re nata vel per matrimonium & im- „ prægnationem, vel libidinum fugam pror- „ ſus fuerit mutata, aut niſi malum ſit „ vel recens vel ſyphiliticæ labis haud ex- „ pers; poſtremum enim leucorrhœæ genus „ præ aliis benignæ indolis faciliorem ad- „ mittit curationem „.

(*x*) l. c. p. 650.

§. 77.

3. AERIS *ſolique mutatio.* Qvantum hæc ad maxime rebelles morbos abigendos faciat, neminem niſi medicæ hiſtoriæ prorſus ignarum, præterire exiſtimo. In leucorrhœa qvoqve pertinaci profuiſſe eſt obſervata. Sic duæ juvenes feminæ Gallæ, narrante RAULINO (*y*), paucis poſt ab adventu ſuo Viennam Auſtriæ diebus correptæ ſunt leucorrhœa rebelli, nec niſi reditu in patriam curabili. Nihil autem Cl. Virum moror, leucorrhœam hanc ſuarum gentilium aqvis Auſtriæ, natura ſua hujus morbi geneſi (ut vult ipſe) faventibus tribuentem. Magnopere qvoqve profuit RAULINI (*z*) puellæ urbani aeris cum ruſticano commutatio.

§. 78.

4. MOTUS *muſcularis.* Leucorrhœa enim teſte P. FORESTO (*a*) vel maxime „ his... accidit, qvæ prava vivendi ratione

(*y*) l. c. T. 1. P. 1. S. 3. C. 4. p. 179.
(*z*) Vide hiſtor. 11.
(*a*) l. c. ſchol. ad Obſ. 20.

„ utuntur, luxuoſa qvidem, ſed minime „ exercitata: unde & nunqvam viſæ agreſtes mulieres id (profluvium) pati, ſed „ urbanæ, & inter eas, qvæ ſunt magis „ muliebri habitu, & qvæ ſedentariam vi„ tam perpetuo degunt „. Neqve id mirum, qvandoqvidem otio corpus laxitatem ſolidorum contrahit, a qva fluor albus ortum ducit (*b*). Hinc „ ſiqvidem ignavia „ corpus hebetat, labor firmat „ notante A. C. CELSO (*c*), ſatis liqvet, qvantum in qvotidiano corporis exercitio præſidii inſit ad leucorrhœam cum prævertendam tum curandam; qvod uſqve adeo verum eſt, ut nihil ſæpe proficiatur hocce in morbo profligando remediis, ſi ſalubris corporis motus negligitur. Sic RAULINI (*d*) puellæ 10 annor. candidiſſima facie, corpore ultra ætatem elatiore, palati fornix & gingivæ admodum pallebant, cum pulſu ſangvinem minus compactum ſolidorumqve laxitatem indicante, & leucorrhœa ſeroſa ab aliqvo tempore moleſta fuit. Nutriebatur hactenus juſculis, lacte, columbis, ſimilibusqve. Ea-

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) De medicina L. 1. C. 1.

(*d*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 1. p. 238.

propter inchoante medico curationem horum alimentorum in locum dabantur ſicciora & minus humectantia, nimirum panis mediæ ſortis, legumina, farinacea, ova ſorbilia; potui conceſſa tenuis ex aurantiis aqva ſaccharata. Qvovis mane præbebatur juſculum e cancris, cichoreo ſilveſtri, ſcolopendria, ac pimpinella paratum, cui infuſum erat naſturtium aqvaticum, chærefolium, ac pauxillum rhei, non tam carthartico qvam tonico potius ſcopo, cujus doſis 7mo vel 8vo qvovis die augebatur ad alvum bis terve qvotidie movendam. Sed cum corporis deeſſet motus, puellæ rus concedendum erat in monaſterium, ubi exercendi corporis eſſet occaſio. Ibi continuatis in binos fere menſes ſub motu muſculari remediis, & corpore qvotidie mane ope ſetonis perfricto, leucorrhœa ſenſim remittens demum ceſſavit, & puella continuato ſolerter corporis exercitio, obſervatoqve debito vitæ regimine robuſtius temperamentum eſt conſecuta.

§. 79.

5. PATHEMATA *animi* in leucorrhœæ curatione haud poſtremas ſibi vindicant curas; qvandoqvidem ſibi relicta felici remediorum ſucceſſui magnopere officiunt, dum

fœdum illud profluvium efficaciter fovent, idqve multiplici ratione, pro varietate videlicet ipſorum. Neqve hujus rei aut ambigua aut obſcura eſt ratio; qvæ enim leucorrhœam proritare poſſunt, eandem & fovere præſentem utiqve valent. Oriri vero leucorrhœam ab animi motibus jam ante (*e*) vidimus: qvidni ergo ortam fovere qvoqve valeant? Imo vero ita ſæpe fovent, ut curationem illa durantibus iis prorſus reſpuat. Meminit RAULIN (*f*) feminæ, qvæ e vehementi ac diuturna animi afflictione ob amiſſam fortunam ſecundam in eadem incidit mala, qvæ puella ſuperius (*g*) memorata perpeſſa eſt; qvæ cum iisdem oppugnarentur etiam remediis; mitiora qvidem evaſere, at non prorſus deſierunt, qvod cauſa illorum ſemper præſto fuerit: idcirco ægram perpetuo langvor tenebat.

§. 80.

6. VESTITUS deniqve ratio non eſt prætereunda. Magnopere etenim intereſt in curatione leucorrhœæ perſpirationem uberius

(*e*) Vide §. 11.
(*f*) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C. 5. p. 341.
(*g*) Vide §. 36.

&

& æqvabiliter procedere; in vulgus autem notum eſt, veſtimenta ad perſpirationem vel promovendam, ſi calori conciliando fovendoqve ſunt idonea, vel reprimendam, ſi leviora ac rarioris texturæ ſint, qvam plurimum facere: proinde tali qvoqve feminas leucorrhœæ obnoxias tueri corpus amictu oportebit, qvi promovendæ & æqvabiliter fovendæ perſpirationi ſit qvam maxime idoneus, eo præſertim tempore, qvo diaphoretica in curatione vel præbentur, vel indicantur. Nihil vero tantam in muniendis adverſus frigus artubus exigit curam, qvam ipſi pedes, qvos a madore in primis frigido tueri neceſſum eſt; ii qvippe concepto frigore non modo perſpirationem celerrime interturbant, ac ſufflaminant, verum catameniorum qvoqve fluxum haud raro ſiſtunt. Qvorum alterutrum ſi eveniat, leucorrhœam ex facili poſt ſe trahit (*h*), præſentem vero jam fovet, atqve ad omnia præſidia contumacem reddit. Qvapropter non umbras ſectantur, qvi in leucorrhœæ curatione pedum a frigore defendendorum rationem eſſe habendam ſerio inculcant.

(*h*) Vide §. 18. a) g).

APPENDIX.

Qvid morbus ſit, qvibusve potiſſimum remediis cedat, vetulis juxta ac empyricis eſt longe notiſſimum: at, qvibus ille profectus e cauſis, eruere, atqve remediorum non copiam modo ac delectum pro indole ipſius morbi & varietate cauſarum ſua in poteſtate habere, verum & ſingulorum dandorum tempora, mutuumqve eorum inter ſe ordinem ac nexum rite pernoſſe, neqve ab juſta aberrare doſi, qvidve, ubi alia ſimul adjuncta inciderint, his ipſis remediis aut adjiciendum aut detrahendum ſit, providere, id enim vero e Medici eſt dignitate. Omnia qvidem hæc ſingillatim præſente in libello abunde (opinor) a me ſunt præſtita; verum cum multa illa, ac varia, nec omnem in caſum idonea ſint, haud raro ambigere tironem faciunt, qvid primum, qvid paulo ſerius arripiendum, qvidve ad extremam curationis metam removendum ſit. Id imperitum vulgus *ex praxi condiſci* oportere exiſtimat, qvaſi dicas per diſcrimina mortesqve aliorum. Ego vero, ſi qvid video, nihil tironem his difficultatibus certius expedit, qvam exempla e probatiſſimis

deprompta Auctoribus, atqve ob oculos poſita; qvippe qvæ diſcentem fidi inſtar moderatoris lecto ægri adſtantis (qvid enim reapſe eſt ſcriptis mandata obſervatio v. g. HIPPOCRATIS de morbo Lariſſææ virginis, qvam ſi ipſum COUM ſpectares medicinam virgini eidem facientem?) in dubiis erudire valeat. Multæ profecto ex id genus hiſtoriis clinicis in lectorem novellum utilitates dimanant; namqve exhibendorum remediorum ordinem ac tempora docent; varias variorum in eadem ægritudine curanda methodos produnt; & qvid in abſtruſioribus complicatisve caſibus agendum ſit, præmonſtrant; &c. Hunc itaqve in finem, qvo libellus hic tironibus reddatur utilior, 13 leucorrhœæ hiſtorias adjicere eſt viſum, in qveis illos paſſim ad varios libelli locos ſuum in commodum relegendos, ubi operæ pretium eſſe credidi, interpolatis ſignis admoneo.

HISTORIA I.

GALENI (*i*).

Primo eam loco referre viſum eſt; qvod ab hac vera leucorrhœæ rite curandæ epocha initium ceperit. Ad hanc GALENI *hiſtoriam omnes pene ævi poſterioris Medici in leucorrhœæ cura reſpexere.*

BOETHI uxor, cum in muliebrem fluxum, qvem vocant, incidiſſet, celebres medicos verita . . . obſtetricibus conſvetis optimis ſane omnium, qvæcunqve in Urbe forent, primum utebatur. Vir ejus, ut ipſam nihil inde levari vidit, præcipuos qvosqve medicos convocat, & eos, qvid opus ſit factu, conſiderare jubet. Poſtqvam in eam ſententiam ab omnibus itum eſt, ut ea remedia adhiberentur, qvæ ab HIPPOCRATE & aliis poſt HIPPOCR. optimis qvibusqve deſcripta fuiſſent, voluit BOETHUS, ſemper intereſſem mulieribus, qvoties aliqvid ægrotanti miniſtrarent uxori, probaremqve ſingulas medicamentorum materias, qvarum intentio ſummatim erat, non

(*i*) De præcognit. ad POSTHUM. Cap. 8.

uterum modo ſed univerſum corpus etiam ſiccare: ungventa inſuper admoverem, qvæ muliebres locos ſupprimerent; morem BOETHO gerebam. Sed, ita faciendo, cum deterior reddi morbus in dies videretur, jure mecum & reliqvi dubitare cœperunt; & qvamvis omnes reqvireremus ad alium ſanandi modum tranſire, melius tamen qvicqvam aut ratione inventum, aut experientia repertum non occurrebat, qvam id, qvod optimi qviqve medici paulo ante conſenſerant. Interea vero tumor in ventre, qvalis in prægnantibus ſuboriri conſvevit, apparuit: qvamobrem ex miniſtrantibus mulieribus nonnullæ revera prægnantem eſſe ægrotantem credidere; non tamen medicorum aliqvis id verum eſſe arbitratus eſt: nam muliebris fluxus indicia, qvæ ſingulis diebus excernebantur, earum opinioni refragabantur. Cum igitur ægrota mulier ab ancilla, qvam fidam habebat, & alia ſibi fieri permitteret, qvæ in prægnantibus fieri ſolent, & ſingulis diebus lavaretur, contigit, ut in prima thermarum cella vehementiſſimis doloribus correpta, qvales parientibus advenire ſolent, humoris aqvei uſqve adeo multum excerneret, ut animo defectam e thermis ipſam extulerint. Inclamantibus ergo & vociferantibus ancillis, verum neqve pedes neqve manus

neqve os ventriculi, qvod uſitato nomine ſto-machus appellatur, fricantibus, ipſe, qvi caſu ante fores balnei conſtiteram, audito clamore intro me proripui, conſpiciensqve frigentem manu nardino ungvento admota ſtomachum laborantis ex eo confricui, an-cillasqve juſſi . . . unam pedes calefacere, aliam manus fovere, reliqvas odorandum aliqvid naribus ſupponere. Tunc itaqve ce-leriter ipſam recuperavimus. Subſidente ve-ro ob inanitionem ventre ſummopere lætata eſt obſtetrix, non tam qvia (ut opinabatur) prægnans non fuiſſet, qvam ut ſummiſſo ventre Medicis, qvi ſibi non crediderant, aperte contradiceret; eo qvod vere intu-muiſſe ventrem percepiſſet. Dubitantibus itaqve ſingulis, qvid factu opus eſſet (nam ad priorem intentionem mulierem ſanare ſa-tis fidebant, nec ad aliud curationis genus tranſire audebant) noctu mihi de ea re cogi-tanti tale qviddam novum occurrit. Nam qvando, ut dixi, mulier animo defecit, . . . ipſe arrepto nardi ungvento præcordia con-fricui, recordatus ſum, me tantam mollitu-dinem illic reperiſſe, ut cum animadvertiſſem poſtea me violentius a principio præcordia fricaſſe, timens, ne carnem lividam redde-rem, a violenta confrictione deſtiterim; par-tes enim omnes circa præcordia, ſi qvis exa-

cte comparare velit, lacti qvod coagulatur, non dum tamen in caſeum obduruit, ſimiles fuerant. Prorſus itaqve mihi viſum eſt, inſiſtendum nimiæ humiditati exſiccandæ morbi, qvi aqvoſus eſſet; ex cogitandumqve talem ſanandi modum, qvo non ſolum humiditatem ſiccaremus, verum etiam ita calefaceremus, ut æſtatis præſertim tempore ægrotantis corpus non liqveſceret, qvod frigidæ & humidæ temperaturæ ſupra modum erat: hujus tamen contrarium tunc faciebamus, cum ipſam in harena maris calida decumbere præciperemus. In aliud qvoqve erroris genus, qvi plerisqve in morbis occurrit, tum nos etiam incidere collegi; labuntur enim ſæpe Medici, dum id qvidem, qvod redundat, evacuant: ne autem illi ſimile aliud gignatur, non prohibent. Atqve ideo mecum decrevi, ut univerſa victus ratio ad duo inclinaret, potus paucitatem, & totius corporis frictionem, qvam non ex pice & reſina ſubſeqveretur inunctio, ſed ex melle ſolo, multum qvidem cocto, tantum tamen refrigerato, ut hac in re fontanæ aqvæ ſimilis æſtivo tempore foret. At qvemadmodum per cutem humorem redundantem evocare melius eſſe cognovi, ſic medicaminibus urinam cientibus eundem per veſicam educere deliberavi, dandamqve ope-

ram cenſui, ut per alvum etiam detraheretur. His animo præſumptis ... medicamento aqveum humorem per alvum educente primo uſus ſum (*k*); poſt aqvam, in qva aſarum & apium ferbuerant, bibendam exhibui (*l*). Cum itaqve duobus primis diebus his remediis adhibitis uterus minus fluere cœpiſſet, 3tio die rurſus haud multum medicaminis illius exhibui, qvod per alvum trahebat ea, qvæ in uterum repebant; cum non ſolum per urinam, ſed per alvum etiam humorem derivare vellem (*m*). Ab eo die poſtea qvotidie & melle eam perunxi, & corpus confricui molliſſimo primum, tum aſperrimo ſindone (*n*): montanarum inſuper avium carnes & piſces ſaxatiles comedendos obtuli. Cum igitur diebus 15 hiſce remediis uſus eſſem, nullum prorſus morbi veſtigium apparuit.

(*k*) Confer §. 43.
(*l*) Confer §. 46.
(*m*) Confer §. 44.
(*n*) Confer §. 67.

HISTORIA II.

P. FORESTI (o).

Seqvitur Auctor in ea ex integro pene AETII (*p*) *methodum in leucorrhœa ipſi rubra dicta, qvæ, nempe ſangvinem ſimul ob plethoram admixtum habet, curanda.*

Uxori meæ cariſſimæ poſt menſium naturalem purgationem contigit aliqvando, ut fluorem muliebrem, modo tendentem ad naturam ſanguinis, modo ad bilem, experiretur; & qvia ſæpe facies rubore inficiebatur, & venæ turgidæ eſſent, ſangvinem bis aut ſaltem ſemel in vere detraximus, & egregie juvabat (*q*) . . . Purgavimus deinde eandem cum *decocto myrobal. citrin. & ℥e rhabarb. adjecto ſyrup. roſ. ex infuſ. roſ. rubrarum apertarum* (*r*). Et qvia in lumbis ſæpe dolebat, loca renum freqven-

(*o*) Obſ. & cur. med. Lib. 28. Obſ. 21.
(*p*) Tetrabibl. 4. Serm. 4. Cap. 64.
(*q*) Vide §. 66.
(*r*) Confer. §. 43.

ter inungi juſſimus *ungvent. roſ.* ſed non ante purgationem totius corporis . . . Ideo bilem purgavimus cum medicamentis ad bilem facientibus, aliqvo modo adſtringentibus (*s*), ut eſt *rhab. myrobal. ſuccus roſ. & earum ſyrup.* & qvæ bilis acrimoniam frangunt. Dedi etiam aliqvando pilulas ex rhab. & myrob. freqventer maceratas in ſucco roſ. nam pilulis magis delectabatur; conficiebam autem hoc modo (*t*):

℞. Rhab. elect. freqventiſſ. irrorati ſucco roſ. ʒij.
Myrob. citrin.
Chebul. Indarum infuſar. in ſucco roſ. aa ʒj.
Maſtiches ℈j.
Spicæ ℈ſs. cum
Syrup. roſ. laxat. de qvibus

ſumebat ſemel in hebdomada in lecti exitu duas vel 3 vel 4 ad ſummum (*u*). Poſtea, cum modice diſtillaret, ſuccida lana vino & roſaceo madente fovimus, ſummitatesqve ſuperiores (nempe brachia) vinculis deli-

---

(*s*) Confer §. 45.
(*t*) Confer §. 45. No. 1.
(*u*) Confer §. 44.

gavimus. . . . Sed & leviter urinam provocantia & ſimul bilem contemperantia propinavimus, ut hoc vel ſimile decoctum (*x*):

℞. Rad. Cichorii cum toto
—— Endiv.
Summitat. Lupul.
——— Borag.
——— Fumar. aa M. j.
Lactucæ M. ß.
Iujubar.
Sebeſten recent. aa No. vij.
Capill. Vener
Polytrichi aa pug. j.
Sem. Aniſi ʒij.
Sem. 4 frig. major. aa ʒjß.
Flor. roſ. rubr. pug. j.
Sem. papav. alb. ʒj F. decoctio pro ℔ j. Coletur, & ſacch. dulcoretur, & arom. ſpec. trium ſant. ʒjß M. Deinde bibat vinum rubrum ſtypticum Gallicum (*y*); & recte habebat. Deinde qvoqve ex hac MR[a] vel ſimili ad magis reſtringendum: . .

℞. Conſerv. roſ. antiqv. ℥jß
Diacydon. ſine ſpec. ℥ß
Conſerv. fl. Cichorii ℥j.

(*x*) Confer §. 46.

(*y*) Confer §. 56. ſqq.

♁ trium ſant.
Corall. rub. uſti & loti aa ℥jß cum
Syr. Cotoneor. F. MRa.

Utero etiam abluto decocto hordei & lentium cum pauco ſaccharo, poſtea etiam adjectis roſ. ſiccis, adhibito inſuper in fine fotu magis adſtringente, tandem recte habuit, optimo victu utens. Maxime juvabat in fine collutio adſtringens (z), moderate refrigerans, qvale illud eſt ab AETIO (a) commendatum: *ſuccus plantaginis, polygoni ſtratiotæ, cydoniorum, & meſpilorum.*

HISTORIA III.

EJUSDEM (b)

Exhibet curatam leucorrhœam arcano remedio BENED. FAVENTINI, *aliaqve notatu non indigna, præſertim ſolennem Auctori medendi methodum.*

Matrona admodum bilioſa . . . menſtrua alba patiebatur, qvæ colore flavo etiam

(z) Confer §. 71.
(a) l. c.
(b) l. c. Obſ. 22.

linteolum inficiebant (*c*). Primo igitur materiam communem aggravantem hoc medicamento leniente eduxi (*d*):

℞. Caſſiæ recens extractæ ℥j
Pulp. Tamarind. ʒjſs
Myrobal. citr. ſubtiliſſ. pulveriſat. ℈j.
Saccharo aſperſo F. bolus. Cepit in diluculo. Deinde hunc ſyrupum 5 diebus continuis propinavimus:

℞. Syr. de ſucco acetoſæ ℥jſs
—— ex roſ. ſiccis
—— myrtini
Mellis roſ. colati aa ℥ſs
▽æ plantag.
— acetos.
— endiv. aa ℥ij. M. pro 2 doſibus.... Deinde illam ita purgavimus (*e*):

℞. Diacatholici ʒvj.
Elect. de ſucco roſ. ʒjſs
Rhab. electi (ſine ſpica) ℈ij
Myrob. citrin. ℈ſs. cum ℥iij
Decocti commun. flor. & fructuum, addendo

(*c*) Confer §. 4. I. No. 2. a).
(*d*) Confer §. 43.
(*e*) Confer §. 44. ſq.

Syr. ex infuſ. roſ. pallid. ℥ß. M. F. potio. Deinde ablata jam cauſa antecedente, ſyrupis adhuc ſemel reiteratis, & ſumptis pilulis in praecedente Obſervatione dictis, injectoqve cremore hordei cum ſucco plantaginis & mucilag. cotoneorum, nam ex acrimonia bilis ſentiebat ardorem in collo uteri (*f*), & exhibita emulſione ſem. 4 frigid. major. & pap. propinavi & illud, qvod erat ſecretum Praeceptoris mei, qvo multas curavit mulieres, praecepi nimirum, ut jejuna hunc prius bolum per 6 horas ad minus ante cibum ſumeret; deinde potum per 15 dies:

℞. Album. ovi recent. & non coct. No. ij.
Thur. maſculi
Boli Armen.
Terrae Sigill. aa ʒß. Pulveriſentur pulveriſanda & M. ac patienti exhibeatur (*g*).

℞. Vini rubr. ſtiptici exſtinct. chalyb. pluries in eo ℥jv.
Gummi Arab.
——— Tragac. aa ʒß M. & F. potus (*h*), detur in diluculo. Haec . . . egregie ſaepe juvabant.

(*f*) Confer §. 71.

(*g*) Confer §. 51. 55. c). §. 58. No. 2.

(*h*) Confer §. 51. 58. No. 2. e).

HISTORIA IV.

P. POTERII (i).

Exhibet ſimpliciſſimam leucorrhœæ medendi methodum, qvæ tironibus pro modulo inſerviet, præſertim cum pulchro ſe remediorum commendet ſelectu.

Perill. D. HELENA de FASANINIS annos 50 nata, uterinis doloribus nonnullis menſibus aſſidue conflictabatur cum inappetentia, cordis palmo, ſyncope, & aliis. Hujus doloris cauſa proxima erat fluor albus uterinus, acrimonia membranas, nervos uteri, & circumjacentes partes vellicans . . . Fluxionis materia ſubcitrina & male olens & purulenta erat: hinc ulcus vel in corpore uteri vel ejus cervice. Scopi curatorii erant, fluxionem ſiſtere, dolorem ſedare, ulcera mundificare, & exſiccare. Ad qvæ peragenda totum corpus prius repurgare decrevimus; qvo facto partes læſas robo-

(i) Inſign. curat. & ſingul. obſerv. Cent. 2. cap. 7. apud. F. HOFFMANN. Opp. ſuppl. I. P. I. p. m. 116. ſq.

rare, & reliqva explere. Ad corpus repurgandum ſeqventi potione uſi ſumus:

℞. Agaric. trochiſc. ℈jvſs infund. in
∇æ Artemiſ. ſ. q. In colat. diſſolve
Elect. diaphœnic. ʒ v.

Data fuit mane, ut moris eſt, ex qva multoties purgata fuit. Seqventibus diebus pro ſyrupis præparantibus capiebat bis in die decoctum artemiſiæ, matricariæ, meliſſæ, abſinthii Pont. calendulæ, betonicæ, & pimpinellæ, ad ℥vj pro doſi. Iterum purgata fuit ſeqventi potu (*k*):

℞. Rad. bryoniæ ſiccæ ℈ijſs infund. in
ſ. q. decocti præſcripti,
in colat. diſſolve
Elect. de ſucco roſ. ſol.
—— diaphœnici aa ʒijſs. Da-

ta fuit hæc potio mane, ex qva ſimiliter probe purgata fuit. Poſtmodum ut penitus fluxio ſummoveretur, capiebat ſeqventes pilulas mane:

℞. Gummi ammoniaci
—— opopanacis
Myrrhæ
Maſtiches aa ʒj

(*k*) Confer. §§. 44. 45. No 1.

Aga-

Agarici trochiſc. ℈jv
Scammoneæ ſpagyr. more pptæ ℈ij.
Croci ♂ reverberati ʒiij.
Macis
Succini eſſentiæ aa ℈ſs
Lap. hæmatitis ℈jſs cum
Syr. de Artemiſia F. maſſa (*l*).

Capiebat ℈ij in tres pilulas ſingulis diebus, 3 horis ante prandium. Atqve his dolores illi atroces & contumaces una cum fluore illo pravo in totum ſublati fuerunt, & abhinc qvinqvennio ſanitate feliciſſima potitur.

HISTORIA V.

J. H. STARCKII (*m*)

De inveterato fluore albo tribus tantum remediis intra 14 *dies feliciter curato.*

Ducis N. N. conjux, poſtqvam ſingulis annis parere deſiſteret, incidit in continu-

(*l*) Confer §. 55. c). §. 58 No. 2. e).
(*m*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 9 & 10. obſ. 168.

um fluorem album adeo moleſtum, ut partes in effluendo vicinas corroderet. Variis uſurpatis remediis, cum moleſtiam hanc ulterius ferre non poſſet, me implorat tandem . . . Igitur . . . præſcripſi ſeqventem ♁em:

℞. Specif. ceph. D. M. ℈j
☉ fulm. rite ppt. gr. iij. M. S.

♁ catharticus pro doſi, qvem in juſculo calido . . . aſſumpſit, & vel decies inde per alvum dejecit cum aliqvali virium jactura. Hinc die (poſtero) eam ab omni medicamentorum uſu liberam reliqvi; interim tamen eadem die duo ſeqventia remedia ut in pharmacopœa debite præparentur, ſollicitus fui:

℞. Limat. chalyb. finiſſ. ℈ß. D. ad chartam in duodecuplo diviſum. S. ♁ ſangv. temperans, cujus qvovis mane No. j. ſumatur. Porro

℞. Therebinth. Venet. q. ſ.
Myrrh. elect.
Croci Auſtr.
♁ Caſtor. elect. aa ʒß
Camphoræ
□ri Vitriolat.
Ocul. ♋ crud. in alcohol redactor.
Corall. rubr. ppt. aa ℈ijß. M.

F. l. a. pil. No. 9 ex ℈j. inaur. S. ſingula-

res pilulæ, qvarum a meridie ac veſperi No. 9 ſumendæ cum ſyrupo viol. qvo delectabatur, ad nauſeam pilularum, qvam habebat, evitandam. Die 3 incepit præſcriptis remediis uti, & ut accuratam diætam obſervaret, evitando præprimis omnia acida, ſalſa, & acria, ſvaſi; in qvibus omnibus mihi . . . obtemperavit. Hinc . . . elapſis 8 diebus fluor iſte albus in minori copia effluere incepit, ita ut die 10mo curationis plane deſiſteret. Interim me auctore continuavit uſum præſcriptorum medicamentorum uſqve ad (15am curationis) diem, qva ab hoc morbo moleſto & curatu difficili . . . feliciter curata fuit . . . Vivit adhuc ſana & vegeta in hunc uſqve diem, qvo hæc ſcribo, qvaſi nunqvam hoc moleſto morbo afflicta fuiſſet.

HISTORIA VI.

J. A. MÜNNICHII (n)

Siſtit pertinacem admodum leucorrhœam cum ſymptomatum cohorte, nec niſi varia ac diuturna remediorum adminiſtratione ſuperabilem.

Matrona duo de triginta annorum, temperamenti ſangvineo-phlegmatici, non multo poſt partum difficilem, ſub qvo non admodum provide ab obſtetrice tractata eſt, incidit in leucorrhœam (o) benignam. Principio parcior, dein qvotidie uberior humor albicans mucoſus e muliebribus continenter prodibat; menſes defecerunt; acceſſit pruritus ac dolor genitalium in dies major; facies expalluit, abiit appetitus, viresqve haud parum decrevere. Ægra evaſit ſegnis, continuoqve mœſta, præſertim qvod e fœcunda facta ſit ſterilis. Qvod ſi fluxus aliqvando ſubſiſteret, oriebantur phlogoſes, cephalal-

(n) Apud A. E. BÜCHNER. miſcell. phyſ. med. math. A. 1730. Febr. Cl. 4. art. 5. p. 889. ſqq.

(o) Confer. §. 17.

gia, palpitatio cordis, & anxia ſpiratio (*p*). Inter varia tentata incaſſum dum conſilio Medici demum emmenagogis uteretur, incidit in nimium menſium profluvium cum ſumma virium jactura; qvod ſponte iterum in menſium ſuppreſſionem cum univerſorum ſymptomatum priorum incremento ac duratione longiore mutabatur. Tandem conſultus Auctor hunc in modum curationem adornavit:

1) Væ So in pede, ſcopo plethoræ minuendæ & ſangvinis ad ima derivandi, inſtituta (*q*). Inde

2) Salia media incidentia qvotidie hora 2da pomeridiana in pulv. data, &

3) Balſamicæ pilulæ ad menten STAHLII compoſitæ No 15 qvolibet veſpere exhibitæ, deſuperqve

4) Vinum medicatum poſtero mane hauriendum datum:

℞. Rad. Rhab. ℥jß
—— Zedoar.
—— Ariſtoloch. rot.
—— Ari aa. ℥ij.
—— Pimpin. alb. ʒiij
Herb. Meliſſæ M. ij

(*p*) Confer §. 36.
(*q*) Confer §. 66.

Herb. Artemiſ.
—— Serpill.
—— Origan. aa. M. j.
Fol. S. S. S. ℥j
Cort. Aurant.
—— Citri aa. ʒij. M. F. Species infundendæ in Vini menſuris ij more ſolito, ſumatqve continuis 3 diebus mane qvovis q. ſ. ad alvum ter qvaterve movendam. Præterea

5) Balneum uterinum adminiſtrabatur, e ſeqventibus ſpeciebus confectum:

℞. Rad. Valerian.
Petroſel. aa. ℥ij
Summit. Juniperi ℥j
Herb. Matricar.
—— Meliſſæ
—— Serpilli
—— Fumar. aa. M. j.
—— Majoran. M. ß.
Flor. Chamom. Rom. ℥ij
—— Lavend. ʒvj. M. F. ſacculus inde, totum valens hypogaſtrium tegere, qvi in lebetem ▽æ fervidæ per ½ h. indatur, & ægrotæ poſtmodo hanc in aqvam qvotidie hora 4ta a meridie per triduum immiſſæ hypogaſtrio calide applicetur; unde rurſum in lectum egreſſæ probe ſudandum erat. Atqve hæc methodus triduo ſemper

tenebatur, 4to autem die præter veſpertinas pilulas nihil præbebatur medicamentorum, ſed jura vinoſa aliiqve reſocillantes cibi concedebantur. Continuata ſic medendi ratio fuit, qvoad poſt egreſſum e balneo nihil materiæ mucoſæ aqvis innatare amplius eſt obſervatum, qvæ principio admodum copioſa præſto erat. Cum vero poſt 4 circiter hebdomades ita exactas imminuta qvidem, at non dum ex integro ſublata, fuiſſet ægritudo, elapſis 14 diebus curatio omnis eodem ordine denuo eſt reſumpta, ſub cujus finem ſemper

6) Eſſentia balſamica STAHLII (r) aliqvamdiu uſurpanda data. Poſt bis reſumptam hancce curationem intra 8 hebdomades leucorrhœa cum omnibus ſymptomatibus deſiit, menſes ordinati reverſi, & matrona haud ita multo poſt imprægnata elapſo anno ſanum enixa eſt puellum.

(r) Fundam. chemiæ T. 2. p. 178.

HISTORIA VII.

H. P. JUCHII (s)

Continet exactiſſimum prototypon tironibus perqvam utile, ex qvo, qva ratione in medicina leucorrhœæ faciunda ordinate iis procedendum ſit, liqvido intelligitur.

Virgo duo de vigeſimum ætatis ſuæ agens annum, phlegmatico potiſſimum corporis habitu (*t*), nimium decocto ex fabis Coffee, otio (*u*), & in primis mœrori ſilentioqve (*x*) indulgens, illo primum mali genere agitari cœpit, qvod virginibus & mulieribus, qvæ vitam ſine diæta ſine motu vivunt, naturæqve neceſſitatibus detrahunt, ſæpe plurimum evenire ſolet, menſium nimirum ſuppreſſione. Atqve cum ex horum defectu nullum ſanitatis ſuæ, ut ipſi videbatur, pateretur detrimentum, niſi qvod circa tempus menſtruum eluctantes ſangvinis motus,

(*s*) Diſſ. ſiſtens virginem fluore albo benig. laborantem. (4to Erford. 1730. Reſp. C. F. BOCKSHAMMER.) §§. 2. 18. ſqq.

(*t*) Confer §. 7.

(*u*) Confer §. 78.

(*x*) Confer §. 11.

horrorem etiam univerſum corporis habitum invadentem ægrius ferret, eorum integritatem ſusqve deqve habuit. *At* enim 4ta ab iis ſuppreſſis periodo tam tetris acerbisqve lumborum & uteri correpta doloribus, ut die noctegve nullam qvietis partem caperet, atqve genibus ſubinde nixa vix locum ſitumqve corporis convenientem inveniret, qvo conceptam illam ab animo doloris moleſtiam abſtergeret. Jungebatur deambulando ſpirandi difficultas ſumma. A ſumptis alimentis fructum ſenſit corpus nullum, ſed veluti tabe confectum molle laxum ſegneqve efficiebatur. Vi ergo ſymptomatum in dies ingraveſcente ſanitati ſuæ conſultura ab aniculis, qvæ lateri ejusdem hærebant, expetit auxilium, qvi muliercularum ſenatulus morbi fomitem in ſtomacho latere autumans ejusmodi ægrotæ præbet potionem, qva pene ad interitum eandem dediſſet; parum enim abſuit, qvin disrumperetur media, cum ejus vi lien, pulmones, jecur, & cor atqve omnia inteſtina ſeditione facta conarentur foras erumpere. Acceſſit vero anus alia, qvæ catameniorum vitium morbi cauſam tuliſſe ſentiens unice menſes reſtituendos clamitat; atqve huic fini vini Moſellani cum ſabina crocoqve multo & pane mellito decocti aliqvot menſuras ægræ propinat, qvod

illa avide haurit, eo qvidem tempore, qvod inter duas purgationes menſtruas intercedere ſolet, & ſanitatis mox recuperandæ ſpem concipit. Parum tamen etiam vinum non apto tempore datum tulit præſidii; potius paſſio illi fiebat amplior, ſymptomata acrius vehementiusqve commovebantur, & die ex die ducta mirum ſæviebant in modum, donec naturæ cooperantis beneficio ſarcina corpori infeſta multis tandem ſub torminibus exitum moliri cœperit. Factum enim eſt, ut 5to valetudinis ſuæ menſe, eóqve, qvo alias ſtillabant catamenia, termino citrinus primo, maximam tamen ſangvinis purpurei partem continens, poſtea ſubalbidus per genitalia prodiret humor (y), qvi in principio paucus, ſuffecto autem tractu temporis robore omnibus fere diebus manabat copioſior, ita tamen, ut ea periodo, qva fluere alias ſolebant menſes, eadem nunc reverterentur, parci qvidem, perqve 2 durarent dies, iterumqve ab eorum ceſſatione dicta ſuperius erumperet illuvies. Urina ex cruditatibus toto corpore conceptis turbida naturali defluebat itinere, & ceu ſqvammis mixta pondere mox petebat ſundum. In his

(y) Confer §. 18. g).

itaqve ſuis, qvas jam per 3 menſes pertulit, moleſtiis, & qvod totum corpus ſordibus ſqvallere miſerum eſſe perpenderet, colorisqve bonitas corrumperetur, ſerio de artis præſidiis, qvæ morbus reqvirebat, cogitat ... Ad profligandum itaqve hunc affectum animo intento & defixo reſpeximus, atqve dedimus operam, ut humores noxios toto corpore conceptos per vias convenientes educeremus. Cui qvidem negotio conficiendo, & qvod ſolennem ſangvinis excretionem ſuppreſſam morbi cauſam attuliſſe deprehendebamus, de eo pertuſa in pede vena ſubtrahendo meditabamur; aſt vires attenuatæ, pulſus ſæpe plurimum langvidus, ſangvis item intra canales parcus, monebant, ut ne huic præſidio generoſo locum daremus. Qvapropter neglecta Væ Se ... mitibus primum evacuantibus pilulis... STAHLII (z) fomitem morbi aggrediebamur, qvarum matutino tempore pro doſi ℈j dedimus; ſeqventibus autem diebus ad ſangvinis immunditiem corrigendam ex uſu nobis erat hæc MRa:

℞. Eſſ. Rorismarin.
—— Succini
TRæ ♂ii ♀ſatæ aa. ℥j.

(z) Confer §§. 45. 63. b).

Cujus MRæ ſingulis diebus m. & v. 40 gtt. vice una præbuimus. Qvarto vero qvovis die dictarum pilularum uſum iterum commendabamus (*a*). Potus ſoliti loco hauſit ægrota decoctum ex raſ. ligni lentiſc. ſaſſafr. paſſul. min. bacc. laur. junip. ſem. coriand. (*b*). His per 20 circiter dies adhibitis, licet in principio ab uſu harum pilularum fluxionem augeri, eandem tamen ſenſim multum minui, obſervavimus. At exacto menſium curriculo ſangvis nunc iterum ea copia, qvantam corporis conditio ferebat, deſpumari, qvem vero rurſus fluor albus excipiebat, ita qvidem, ut cum antea tenax & viſcidus per genitalia erumperet humor, jam deſtillaret tenuis, parcus. Qvare ubi magna ex parte corpus a colluvie ſeroſa purgatum animadvertebamus, in eo ſtudium porro collocabamus noſtrum, ut non intermiſſo pilularum, nunc 6to qvovis die exhibitarum, uſu (*c*), partibus internis antiqvum rubor conciliaremus, non omiſſis iis, qvæ ad humoris ſeroſi reliqvias ab utero revellendas atqve ad corporis ambitum diverten-

---

(*a*) Confer §. 44.

(*b*) Confer §. 84 49.

(*c*) Confer §. 57 No 1.

das facere videbantur. Qvotidie proinde binis de die vicibus hanc propinavimus MRam (*d*):

℞. Eſſ. cort. Aurant.
— millefol.
— pimp. alb. aa. ℥j.
— TRæ vitriol. ♂ LUDOV. ℨß.

D. 30 gtt. pro doſi. Selegimus pariter radices, herbas, &c. corroborantes, atqve infuſo theiformi ſeqventes dedimus (*e*):

℞. Rad. Zedoar.
—— Bardan. aa. ℥ß
Herb. Roriſmar.
—— Abrotani
—— Salviæ
—— Meliſſæ
—— Menth. criſp. aa. M. ij.
—— Galeops. fl. alb.
Flor. Chamom. Rom. aa. p. iij.
Sem. Fœnic. ℨij. M. conciſ.

contuſ. S. ſpecies forma theata uſurpandæ. Hac medendi via ægrota noſtra ad priſtinam perducta ſanitatem; neqve externis aliis remediorum opus erat formis... Color faciei ... ſub hac... paſſione corruptus jam

(*d*) Confer §. 53 & 58 No 2. e).
(*e*) Confer §. 53 No 1.

iterum micare vividus, ſangvis pariter menſtruus nulla amplius ſeqvente turpi colluvie via ſtato tempore progrediebatur regia. Poſtremo cum magnum curationis recte conficiendæ momentum in diæta poſitum eſſe rationis ſuffragio omnes ex omni memoria affirment Medici, eandem ægrotæ etiam noſtræ curatius paulo ſervandam commendavimus. Aerem proinde, qvem, dum ægra noſtra morbo implicita teneretur, cœli tempeſtas concitavit frigidum, a corpore arcendum ſvaſimus; hujus enim vi totum corporis habitum gravius affici, cœca corporis ſpiracula conſtipari, rejectisqve intus, qvi exſpirare debebant, humoribus ... fluorem album magis firmari docuimus. Atqve interdictis alimentis frixis, pingvibus, fumo induratis, adſtringentibus etiam & acidis, a qvibus ſi non excitari, foveri tamen & augeri fluxionem albam SYLVIUS (*f*) notat, ac iis, qvæ a ſtomacho nec facile vinci, neqve diſtribui, aut excludi qveunt, cibos, qvi a tenero ventriculi amplexu prehendi, liqvari, ac robur viſcerum erigere poterant (*g*), v. c. carnes pullorum cum nuc.

(*f*) Prax. med. L. 3. C. 4.
(*g*) Confer §. 75.

moſchata, vituli cum major. conditas, magis tamen veru infixas, ad ignem verſatas, capere juſſimus. Potus erat decoctum (ſuperius) traditum, non tamen nimius ille, ſed modicus, qvandoqve vinum, cui roſmarinus vires medicinales (*h*) communicaverat, rubrum. Somno & vigiliis, ut modum in iis tenendo ſatisfaceret, hortati ſumus. Excretiones naturales v. g. urinæ, ſudoris, in ſtatu etiam morbi ſæpe plurimum vigebant; alvo autem ſemel ſaltim hoc in morbo impeditæ compreſſæqve neceſſe fuit conciliare libertatem. Aggregatæ enim tum in inteſtinorum tubo feces, & qvi in illum corrivantur varii generis humores, in primis pituitoſi, aere impuro & craſſiori elevato, excitabant flatus varietate & impetu ludentes, ſonos etiam interdum affectantes, & inteſtina diſtendendo doloris efficiebant ſenſum. Qvam qvidem alvi adſtrictionem continuato pilularum uſui tribuendam vix putamus... ſed magis neglecto corporis motui, cui tamen admonita ſenſim aſſveſieri cœpit (*i*). Demum injuncto etiam decenti affectuum regimine (*k*), ... qvem in medendo optavimus, aſſecuti ſumus terminum.

(*h*) Confer. 53 c).
(*i*) Confer §. 78.
(*k*) Confer §. 79.

HISTORIA VIII.

L. HEISTERI (*l*)

Exhibens contumacem puellæ impuberis leucorrhœam, methodumqve Auctori ad curandum hunc morbum uſitatam.

Galli filiolæ ſeptenni leucorrhœa laboranti 1733 die 6ta Julii rogatus præſcripſit:

℞. Herb. millefol. c. flor. M. j.
Raſ. lign. Saſſafr. ℥j. M. conc. gr. modo D. ſig. Species theata forma bis qvotidie ad vaſcula 3 bibendæ.

℞. Eſſent. lignor. ℥ß
——— Caſcar. ʒjß. M. D. gtt. xv. pro doſi cum infuſo priore.

℞. Pil. balſam. STAHL. ʒjß. D. alterno veſpere No. 7 ſumendæ. Alternis qvoqve diebus imperatum balneum cum roſmarini, ſalviæ, millefolii aa M. j. paratum. Sed leucorrhœa, appetente licet, probeqve dormiente ægra & hilari, nihilominus pergebat, ut ante. Idcirco 18va Novembris priorum in locum data:


(*l*) Medic. chir. u. anat. Wahrnehm. 2. Band. No. 128.

℞. Herb.

℞. Herb. virg. aur. M. j.
Rad. torment. ℥ſs.
Raſ. lign. ſaſſafr. ℥j.
Flor. roſmarin. p. ij. M. conc. gr. modo D. Species pro infuſo prioris ad modum uſurpando.

℞. TRæ ♂ii ♀ſat. ℥j
Eſſ. ſuccin. ʒij. M. S. gtt. 20 bis de die cum infuſo præcedenti.

℞. Oſſ. Sep. ppt. ʒvj.
Succin. ppt. ℥ſs.
Croc. ♂ aperit. STAHL. ʒj.
Ol. ſtill. caryoph. gtt. ij. M. F. ♁ qvovis veſpere ad cultri cuſpidem ante ſomnum ſumendus. Pilulæ qvoqve STAHLII qvalibet hebdomade interpolandæ, totaqve hæc curatio in menſem continuanda injuncta. Sicqve mali emendatio eſt conſecuta.



HISTORIA IX.

EJUSDEM (*m*).

In qva ſpecimen leucorrhœæ cum ulcere uteri curatæ habetur.

A. 1728 die 28 Aug. mulieri 40 annor. leucorrhœam cum ulcere uteri paſſæ ſeqventia præſcripſit:

℞. Rad. eryng. ℥j.
Herb. anthos M. j.
Flor. lavend.
—— cheiri aa p. iij.
Caſſ. caryophyll. ʒiij. M. conc. cr. modo D. Species bis de die forma theati infuſi bibendæ.

℞. Nitri regener.
♀ Vitriolat. aa ʒij.
Sal. Abſinth.
Cinnab. ♁ii aa ʒj.
Extr. Caſtor. gr. vj
Ol. ſtill. Caryoph. gtt. vj. M. F. ℥ ante ſomnum ad cultri cuſpides ij capiendus.

(*m*) Ibidem No. 68.

℞. Extr. Ariſtol. rot. ʒj.
Aloes depur.
Myrrh. rubr. aa ℈j.
Extr. helleb. nigr.
—— gentian. aa ℈ſs
Opobalſ. liqvid. q. ſ. F. pil. gr. j. conſperg. pulvere liqvirit. S. No. 15 ante ſomnum.

℞. Ungv. diapomphol. ℥vj.
☿ vivi ʒij. Subige in mortar. vitreo. Adhibeatur externe m. & v. Ab his paulo poſt melius habuit; ſed curæ accelerationem roganti die 14ta Septembr. præſcriptum porro

℞. Cinnab. vulgar.
♁ crud. aa ℥ſs
Maſtich.
Myrrhæ
Succini
Olibani aa ʒj. M. contuſ. gr. modo D. pro ſuffitu, ut m. & v. inde aliqvid prunis injiciat, fumumqve inſeſſus modo ad genitalia & hypogaſtrium admittat. Porro conſilium datum, ut m. & v. ungventum ☿le vulgare piſi magnitudine cuilibet tarſo calide infricet. Die 30 Novembr. e lapſu vulnus penes malleolum pedis dextri ortum multum aqvoſi humoris plorabat, ſimulqve leucorrhœa aliqvatenus revertit a-

cris & mordens: eapropter omnia remedia ordine priſtino reſumpta ſunt, a qveis plane convaluit.

HISTORIA X.

ANT. L. B. DE STÖRCK (n)

Caſum prorſus ſingularem ſiſtens leucorrhœæ diuturnæ, ſuppreſſæ primum, dein in reverſione acerrimæ, tum alterum qvoqve ſuppreſſæ, tandem purulentæ factæ, cum varia tam ipſius qvam ſymptomatum curatione.

Femina 42 annorum, ſaniſſima alias, 7 abhinc annis (cauſam ignorat) cœpit fluore albo continuo laborare; & ab eo tempore nil ſangvinis menſtrui amplius comparuit. Materies ex utero prodiens ſub initium lenta, mucoſa, ſubalbida fuit; in hypogaſtrio autem advertebatur tenſio, & dolor punctorius vagus. Præterea urina ſubinde teneſmo retenta aut difficilis reddita eſt. Uſu balneorum & variorum remediorum ſpatio 9

(n) Libell. 2 de cicuta Cap. 2. caſ. 13.

menſium hic fluxus ſuppreſſus fuit. Verum manſit in hypogaſtrio tenſio & dolor punctorius, & ſæpius obſervatus eſt urinæ teneſmus, & (o) vagi calores freqventer caput turbarunt, ſupervenerunt leves leipothymiæ, & fere qvotidie verſus veſperas ſpinam dorſi horror perrepſit. His ſymptomatibus ſolo decocto althææ medebatur ægra. Per integrum fere qvinqvennium malum fuit ſatis mite, ægra habuit vires, & poterat ſuos labores peragere. Dein autem erodentes orti ſunt dolores, hypogaſtrium tenſum ex minimo attactu valde doluit, & demum retenta eſt urina & alvus. Enematibus emollientiſſimis, & ſimilibus fomentis tandem cœpit urina prodire acris turbida, & alvus dura nigra globoſa. Levamen inde habuit ægra, recuperavit iterum ſuas vires, & potuit extra lectum eſſe. Externo attactu deprehendebatur in medio hypogaſtrio tumor durus, in qvo continuus percipiebatur dolor ardens, erodens, pungens. Atqve ideo hæc femina balneo emollientiſſimo qvotidie per binas horas inſedit, & 8vo die, qvo hoc balneo utebatur, prodiit ichor ſubfuſcus, acer, fœtidus, & dolo-

(o) Confer. §. 36.

res ardoreſqve inde levabantur. Simili balneo adhuc per 14 dies uſa eſt, & multo melius inde ſe habuit; etenim hypogaſtrium ſat rudem attactum ſine dolore tulit, & ægra potuit ambulare abſqve moleſtia. Verum fluxus ichoris acerrimi ſemper factus eſt copioſior, & eroſa eſt uteri vagina & vulva (*p*). Hinc remedia externa internaqve applicata fuerunt. Per aliqvot dies ægra ſubinde ſibi levata videbatur, & fluxus fuit admodum mitis: dein autem aucti ſunt iterum dolores, ſupervenit febris, retenta eſt urina. Hinc enematibus & fomentis urinæ viæ iterum debebant liberari; & inde ichoris fluxus copioſior fuit. Senſim ægra debilitata eſt, cœpit veſpertino tempore horripilationes conqveri, dein calores, & noctu copioſe ſudavit (*q*). Tentata qvæcunqve nil juverunt; imo dolores ſemper fiebant magis vivaces, pertinaciores, & materies magis fœtuit, & fuit acerrima. A medicis relicta demum ad noſocomium venit tota emaciata, cachectica. Tentavi omnia remedia, qvæ in ſimilibus caſibus profuiſſe alias vidi; præterea decoctis demulcentibus & diæta molli

(*p*) Confer. §. 35. B. a).
(*q*) Confer. §. 35. B. h).

conabar involvere acrimoniam. Vires videbantur pauliſper augeri, & mens fieri alacrior; verum febris veſpertina & ſudor nocturnus continuarunt: neqve imminuti ſunt dolores, neqve fluxus mitior redditus. Hinc qvum adverti, me remediis uſitatis actum agere, tranſivi ad uſum cicutæ (*r*), dedi autem ſimul decoctum ſaturatum radicis althææ, & leni infuſo cicutæ, qvod lacte factum eſt, curabam ſæpius per diem vulvam & uteri vaginam elui (*s*). Intra paucos dies magna fiebat mutatio, remiſerunt dolores, febris veſpertina erat mitior, ſomnus magis tranqvillus, ſudor minus copioſus, neqve materies utero effluens adeo fœtuit. Decimo octavo die jam dedi nycthemeri ſpatio 24 grana de extracto cicutæ. Symptomata omnia fere qvotidie in melius mutata ſunt; dolores tamen ſubinde adeo vivi fuerunt, ut opio debuerint ſopiri. Trigeſimo die dolores erant enormes urentes; acceſſit febris, ſitis, & multum imminutæ ſunt vires. Removi illico extractum cicutæ, non tamen propterea cicutam damnavi. Venam ægræ ſe-

---

(*r*) Confer §. 55. a).
(*s*) Confer §. 71.

cui (*t*), & ſolum decoctum emollientiſſimum cum nitro & melle exhibui. Externe applicabatur cataplaſma emolliens. Dum hæc febris acceſſit, ſiluit omnis fluxus uteri, urina reddebatur difficilior, non tamen penitus retenta eſt. Sangvis e vena miſſus fuit ſpiſſus, phlogiſticus. Mala hæc ſymptomata abſqve omni fere remiſſione in 4um diem durarunt, ægra ſæpius ſenſit horrores; 4to die debilis admodum fuit ægra, pulſus ſæpius intermiſit, obſervabantur freqventes caloris coloriſqve in facie mutationes. Demum verſus veſperas, prægreſſo magno horrore & ſudore frigido & levi animi defectu mucus prodiit ex utero, miſtus ſtriis ſangvineis, & advertebatur magnus fœtor. Hinc omnes gangrænam letalem adeſſe clamitarunt. Verum poſt ½ horam prodiit multum pus, & ægra ſe levatam ſenſit, & nox fuit qvieta, & bono ſomno dein reficiebatur. Altero mane eam inveni alacrem, & pulſum habuit naturalem; puris fluxus mediocris continuavit. Solum iterum radicis althææ decoctum tunc ſine nitro exhibui, verum junxi ſimul pilulas ex olibano, maſtiche, ſarcocolla, & mucilagine

---

(*t*) Confer §. 66.

gummi tragacanthæ confectas (*u*). Dolores circa uteri regionem pauci fuerunt, neqve ulla amplius durities tactu obſervata fuit. His ſolis medicamentis & diæta molli ſpatio 12 dierum puris fluxus integre curatus fuit, & auctæ ſunt vires. Qvum tamen ceſſante puris fluxu per vices adhuc ichoris ſtillicidium animadvertebatur, & ægra ſubinde dolores pungentes vagos in utero conqveſta eſt, pilulas balſamicas ſepoſui, & earum loco dedi extractum cicutæ: cujus efficacia dein intra 3 ſeptimanas ægra integre ſanata fuit. Etenim fuit toroſa, robuſta, agilis, nil conqverebatur, uteri omnis fluxus ſiluit, urina prodiit ſine moleſtia, appetitus fuit bonus, ſomnus tranqvillus reficiens.

(*u*) Confer §. 55. c).

HISTORIA XI.

RAULINI (x)

Leucorrhœæ hæreditariæ, qvam cauſæ procatarcticæ magnopere fovebant in impubere puella, mutata penitus vivendi ratione curatæ caſum ſiſtens.

Puella octennis, e matre leucorrhœam continuam ac debilitantem tam ante graviditatem qvam in eadem paſſa in lucem edita, ultra ſemeſtre fluorem album habens extenuabatur, ſtomachiqve jam tenſiones perſentiſcebat. Cum vero lacte ſemper, juſculis, pullis & columbis veſceretur, atqve a cunis jam vinum pitiſſaſſet, ac vix bimulæ alternis diebus conceſſa fuiſſent caffee, thea, chocollata, nec unqvam e domo vel horto prodire ſineretur: haud alioqvin, qvam tota vivendi ratione mutata, morbus videbatur curabilis. Idcirco aeris, aqvæ, ac diætæ ſalubrioris cauſa (y) ruri habitatio loco edito, cujus per ſubjectam planitiem rivi majores fluebant, conducta

(x) l. c. T. 2. P. 3. S. 2. C 1. p. 233. ſqq.
(y) Confer §. 77.

illi fuit, dataqve moderatrix ruralis magis qvam urbanæ diætæ guara. Alimenta non alia conceſſa, qvam panis & ruri conſveta jura, legumina, ac fructus; potui vero data aqva recens e petris verſus meridiem ſcaturiens. Imperatus ſimul ſerena ſiccaqve tempeſtate corporis motus eum ad modum, ut nunqvam, niſi poſt ½ h. deambulationem ad jentandum admitteretur, nec prandium caperet, niſi poſt laſſitudinem a deambulando, qvod idem a prandio qvoqve factum (*z*). Porro mane qvovis egreſſæ lecto præbebantur aliqvot guttæ balſami Peruviani (*a*) cum infuſo corticum amarorum ex aurantiis (*b*); omniqve octiduo pulveris Rhei grana aliqvot in prandio ad primum juſculi cochlear admiſcebantur toties, donec alvus mota eſt (*c*). Identidem vero ſeponebantur medicamenta, ne iis natura aſſveſceret. Exacto ſic anno redierunt vires, perſpiratio ad lenem uſqve ſudorem, nunqvam antehac obortum, invaleſcens promovebatur præbito mane, bihorio

(*z*) Confer §. 78.
(*a*) Confer §. 48. d).
(*b*) Confer §. 53.
(*c*) Confer §. 44 45 No. 1.

anteqvam ſurgeret, balſamo Peruv. hauſtoqve deſuper infuſo calido e veronica mare & cortic. aurant. (*d*), leucorrhœaqve pedetentim remittens ſub finem biennalis hujus regiminis ex toto deſiit. Aliqvanto poſt puella in cœnobium translatà, ubi ordinata, minus tamen jam ſevera, vivendi ratione obſervata ſaniſſima manſit, ac debito tempore catamenia qvoqve rite nacta eſt.

HISTORIA XII.

EJUSDEM (*e*).

Inſolitum prorſus leucorrhœæ ab anevryſmate carotidis exortæ exemplum ſuppeditans, qvo perſanato leucorrhœa qvoqve conqvievit.

Matrona 30 annorum a $\frac{3}{4}$ anni haud exiguum læva in carotide externa gerebat anevryſma cum pulſatione, ceteriſqve ſolennibus anevryſmati ſymptomatibus. Aderat inſuper totius colli intumeſcentia cum

(*d*) Confer §. 49.
(*e*) l. c. T. 1. P. 2. S. 1. C. 9. p. 335.

dolore tenſivo inſtar pedis anſerini per totam omoplatam uſqve adeo cruciante, ut caput neqve gyrare neqve affectum in latus movere ſine acerbo dolore poſſet. Junctus his etiam langvor aliqvis fuit, ac ſomnus inqvietus & interruptus, turbata ventriculi functio, & leucorrhœa cum continuo uteri dolore, aliisqve incommodis nullas ægrotæ inducias concedentibus. (*f*) Poſt omnia uſitata artis præſidia a Cel. cum medicis tum chirurgis per 18 menſes necqvidqvam tentata, Auctor tandem (*g*) ſecta crebrius vena, injuncta tenui diæta, cum moderato corporis motu, adhibitis balneis tepidis, ſiccisqve totius corporis frictionibus inſtitutis, ac datis potui diluentibus, leniter aperitivis, aqvis ſoteriis ♂libus, anevryſmati totiqve collo admovit cataplaſmata cum ſempervivo & aliqvot ſolani foliis, ſub cinere coctis, parata. Qvorum poſt bimeſtrem fere adminiſtrationem anevryſma evanuit, omniaqve ſymptomata diſparuere, ægra per 6 inde annos illibata ſanitate gaudente.

(*f*) Ibid. T. 2. P. 3. S. 2. C. 6. p. 372.
(*g*) Ibidem p. 370. ſq.

HISTORIA XIII.

J. STORCHII (h)

De leucorrhœa gentilitia cum rheumate capitis alternas tenente, ac demum utroqve hoc malo Auctoris methodo percurato.

Ruſtica mulier 32 annorum, procera, cholerico-phlegmatica, laboris continui impatiens, ac ſeptennium ſterilis (*i*), A. 1723 die 12ma Junii pro continua qvinqve jam hebdomadum leucorrhœa opem rogabat, cauſam ejus ignorans, niſi qvod memoria teneret, binas ſuas natu majores ſorores eadem laboraſſe (*k*), qvarum altera multas nihilominus proles nacta (*l*), altera vero ſterilis fuerat. Præſcripſi igitur:

℞. Eſſ. lign. ſaſſafr.
— roſmarini
— ſuccini
TRæ ♂ii tartariſ. aa. ℥j. M. D.

(*h*) Von Weiber-Krankheiten 8 Band caſ. 7. p. 274 ſqq.
(*i*) Confer §. 35. A. d).
(*k*) Confer §. 8.
(*l*) Confer §. 35. A. d).

S. ſumat m. & v. ad gtt. xxx. ſimulqve data pulveris purgantis gr. xxv pro doſi. Die 29na, cum hucuſqve nil profeciſſet in melius, ordinavi

℞. Extr. panchym. CROLL. ℈ß
—— rhabarb.
Reſin. jalapp.
☿ ii dulc. aa. gr. v. M. cum
Eſſ. lign. ſaſſafr. F. pil. No xij.
pro doſi.

℞. Pulv. corall. alb. ʒij
—— oſſ. ſæpiæ ʒj. M. div. in jx doſ. veſpertinas. Porro

℞. Eſſent. roſmarin.
TRæ ♀ri aa. ʒij. M. S. gtt. xxx mane. Sed his qvoqve in caſſum datis, 24ta Julii imperavi primam denuo MRam, ac præterea præbui

℞. Rad. bardan. ℥j
Herb. beton. M. ij
—— marrub. alb. M. j.
Lign. ſaſſafr. ℥ß. M. D. pro theato potu. Ab his leucorrhœa ita intermittebat, ut non niſi ante & poſt catamenia flueret, ſemperqve 14 diebus intermediis abeſſet. Sed cum etiam ſic ſterilitas manſiſſet, ægræ ulteriorem qvoqve opem poſcenti A. 1724 die 15ta Aprilis imperata phlebotomia in pede, datumqve

℞. Eſſent. milleſol.
——lign. ſaſſafr. aa. ℥ij
——ſuccin. ʒj. M.D. m. & v. gtt. 30.
℞. Pulv. purgant. gr. xxjv
☿ii dulc. gr. jv. M. D. 3tio poſt V. S. die pro doſi. Inde leucorrhœa uberior primum facta poſtmodo remiſit: idcirco iterata die 29na MRa, & ſimul datus pulv. corall. cum nitro, non ſine egregio levamine. Die 20ma Maji præſcriptum eſt
℞. Eſſ. roſmarin. ʒj.
— milleſol. ℥ij
— lign. ſaſſ.
— balſ. Peruv. aa. ʒj. M. S. m. gtt. 30 veſperi autem pulveres poſtremos; itereturqve catharticum diei 15 Aprilis. Tandem 14ta Junii datum:
℞. TRæ ♂ii ℥ß
Eſſ. lign. ℥ij. M.
℞. Corall. alb. ʒjß
Oſſ. ſep. ʒj
♂ii ♂lis cachect. ʒß. M. div. in 9 doſes. Die 2da Septembr. narravit ægra, ſe antehac rheumate capitis cum narium obſtructione laboraſſe; & qvamdiu leucorrhœam patiebatur, ab rheumate ſe immunem fuiſſe: ubi vero æſtate præcedente leucorrhœa iterum ſubſtitit, rheuma capitis eſſe reverſum. Cum hactenus tempeſtas admodum

dum eſſet calida, occipiente ejusdem mutatione rurſus me illi medicinam facturum ſum pollicitus. Die 12ma Sept. dyſenteriam tunc epidemicam experiri cœpit, qvam tamen potiuncula ex TR^{a} rhei & elect. diaſcord. FRACAST. brevi ſopivit. Die 23^{tia} phlebotomiam ſvaſi; poſteaqve præbui pil. purg. c. ☿ dulci, & TR^{a} ♁ ii. Die 11ma Oct. ordinavi potum theatum pro ſangvine depurando cum rad. Bardan. Sarſap. lign. ſanct. & Saſſafr. in TR^{a} ♁ ii. miſtum, conſuluiqve, ut veteris illius rheumatis cauſa aliqvoties veſicantia ſuris aliud ex alio applicaret. Ab his tam bene habuit, ut A. 1725 puellam pepererit, enutriveritqve; licet deinceps nullæ aliæ proles ſucceſſerint. Inde uſqve in A. 1728 ſana vixit; hujuſce autem Junio menſe ac Martio inſeqventi dolorem in læva regione lumbari nacta eſt, qvem primum oleo chamom. cum camphora, alterum vero emplaſtro miracul. c. camph. leniqve potu theato oppugnaverat; ab leucorrhœa autem immunis vixit.

INDEX I.

AUCTORUM.

A.

Acta Berolinenſia (vid. Gohlius)
Acta Hafnienſia 234. 242.
Acta Lipſienſia 56.
Acta natur. cur. 120. 122. 133. 151. 172. 255.
Acta nov. nat. cur. 22.
Acta Pariſina 9.
Aetius 7. 13. 97. 297. 300.
Albrecht 124. 159.
Alix 239.
Amatus 194.
Annales Vratislav. 33. 42. 49. 138. 143. 152. 162 189. 283.
Aſtruc 54. 70. 71. 72. 74. 76. 79. 82. 83. 86. 252.

B.

Baglivus 81.
Bajon 134. 202.
Baldinger 126.
Ballonius 57. 84. 131.
Bartholinus 242.
Bauhinus 133.
Becher 176. 249.
Behr 133

Bertram 239.
Blanckart 216. ſq.
Blaſius 115.
Bockshammer 312.
Boehmer 98.
Bœrhaave 73.
Bœtticher 122.
Bonetus 111.
Büchner 52. 163. 308.
Buchotz 98.
Büchwald 141.
Burggrav 172.
Burton 121.

C.

Caſtro 34.
Celſus 286.
Cockſon 266.
Commentar. von Edinb. 66. 233. 266.
Commerc. Norimb. 35. 108.
Corbeius 257.

D.

Degner 152.
Delius 200. 219.
Detharding 201.
Diſpenſat. Vienneaſ. 234. 249.
Dolæus 29. 79. 236. 239. 250.

E.

Denius 252.
Ihard 62.
Eraſtus 199.
Erneſti 49. 162.
Ettmüller 158. ſq. 162. 199. 235. 257.

F.

Faventinus Bened. 300.
Fernelius 30. 159.
Foeſius 27.
Floyer 275.
Fonſeca 55. 104. 158. ſqq. 236. 282.
a Fonte Læl. 57. 119.
Foreſtus 7. 97. 101. 153. 178. 285. 297. 300.
Frambeſarius 188.
Francus 252.
Fürſtenau 255.

G.

Gahrliep 31.
Galenus 7. 57. 292.
Gaſſer 247.
Gehema 264.
Geofroi 159.
Gohlius 41. 51. 135.
Graaf 8.
Grülingius 278.
Gulbrand 36.

H.

Hagendorn 39.
Harder 15. 17.
Hartmannus 200.
Heilkunde neuſte 268.

Heiſter 191. 320. 322.
Helidæus 235.
Henckel 258.
Hentrich 43. 103. 106.
Heucher 8.
Hildanus 277.
Hill 66.
Hippocrates 27. 29. 104. 274.
Hiſtoria morbor. Vratisl. 42. 157. 178. 238. 246. 256. 272. 276.
Hœchſtetter 30. 34.
Hoffmannus (Frid.) 6. 10. 14. 29. 33. 37. 41. 48. 49. 96. 126. 142. 167. 168. 169. 188. 199. 225. 238. 244. 254. 261. 262. 265. 267. 269. 270. 303.
Hoffmannus (Maur.) 19.

I.

Jacoz 165.
Jenſen 141.
Juchius 312.

K.

Kaltſchmied 43.
Klein 76. 131. 138. 151.
Kœlichen 234.
Krapf. 210.

L.

Lange 251.
Lanzonus 150. 234.
Lentin 54. 249.
Leske 121.
Lindanus 200.
Loew 120.
Loſſius 246.
Lotichius 264.

M.

Marx 217.
Mauriceau 21.
Mead 5. 159. 168. 23[illegible] 238. 261. 267.
Mercurialis 236.
Meynoldus 242.
Miſc. natur. cur. 15. 1[illegible] 31. 105. 107. 124. 15[illegible] 153. 159. 201. 23[illegible] 242. 243. 273. 27[illegible] 305.
Montanus 34.
Morgagnius 6. 9. 30. 3[illegible] 61. 62. 64. 110. 120[illegible]
Mortimer 121.
Münnich 308.
Muralto 105. 107. 11[illegible]
Murray 201.

N.

Nenter 137. 162.
Neſter 243.

Neuhold 108.
Nizet 268.

O.

Ovelgün 22.

P.

Palluci 120.
Panarolus 123. 219.
Paulli 180.
Paullini 30. 242. 251.
Pechlinus 31. 149. 283.
Pinæus 63.
Pitcarnius 5. 87.
Platerus 162.
Polzer 209.
Pomme 79.
Poterius 303.

Q

Qvarin 210.
Qvercetanus 234.

R.

Raulin 4. 9. 36. 38. 42. 54. 55. 101. ſq. 125. 129. 135. 137. 141. 164. 166. 197. ſq. 232. 253. 272. 281. 285. 286. 288. 330. 332.
Reuſner 181. 199.
Reydt 238. ſq.
Rhodius 119.
Riedlinus 43. 46. 82. 103. 104. 105. 230. 270.
Riverius 13. 165. ſq. 169. 171. 196. 228. 256.
Rommelius 153.
Roſt 143.
Roux 134. 202.
Rücker 35. 51.
Rueff 240.

S.

Sachs 275.
Samml. Berlin. 200.
- - - - Fränk. 200. 219.
- - - - Leipzig. 55. 235.
Sauvages 8.
Schaarſchmidt 56. 65. 76. 89. 140.
Schæffer 258.
Scheidemantel 177.
Schenck 133.
Schenkbecher 221.
Schlierbach 151.
Schraderus 200.
Schurigius 32.
Silvaticus 3. 11. 12. 14. 15. 29. 43. 46. 53. 97. 101. ſq. 105. 158. 160. 276.
Sperling 8.
Stahlius 27. 249. ſq. 281. 284. 311.
Starck 305.
Stoeller 211.

Störck 57. 99. 113. 150. 170. 179. 181. 205. 208. 209. 213. 216. 220. 248. 265. 270. 324.
Storch 18. 33. 44. 45. 50. 52. 85. 86. 87. 103. 128. 139. ſq. 180. 244. 245. 334.
Swalve 178.
Swieten 73. 75.
Sylvius 41. 256. 318.

T.

Terraneus 30. 31.
Thevart 132.
Thompſon 55. 235.
Tillingius 138. 177.
Timæus 19.
Tranſact. Philoſ. 161.

V.

Vandermonde 121.
Varſavienſes Obſerv. 60.
Velſch 181. 242. 247.

W.

Wachter 98.
Wedelius (G. W.) 174. 234.
- - - - - (J. A.) 62.
Weikard 45. 237.
Weitz 32.
Whytt 275.
Wincler 273.
Winter 189.

Z.

Zacutus 189.

INDEX II.

RERUM.

A.

Abortus leucorrhœæ cauſa 51. 68. & effectus qvoqve 99.
Abſceſſus a leucorrhœa ſuppreſſa 133.
Abſtergentia diuretica interdum conducunt in leucorrhœa 179.
Acidum vitrioli efficax ad leucorrhœam 236.
Acrimonia fluoris albi 15. ſq. naſcitur ex ejus diuturnitate 109. efficitqve varia mala 110. ſqq.
Aeris mutatio utilis in leucorrhœæ cura 285. 330.
Adſtringentia leucorrhœam curant 225. ſqq. qvando danda? 227. qvalia optima? 233. exſiccantia ibid. auſtera 235.
Aetas qvæ maxime leucorrhœæ obnoxia? 29. ſqq. etiam tenera ibid.
Affectus animi leucorrhœam cauſant 39. curam impediunt 287.
Alba menſtrua qvid? (v. leucorrhœam).
Album ovi cum aqva roſarum ſumptum ſuſtulit leucorrhœam 194.
Albus fluor (v. leucorrhœa).
Alimenta in leucorrhœæ cura qvalia danda? 279.
Aluminoſa balnea in leucorrhœæ cura circumſpecte adhibenda 272.
Alvus qvalis in leucorrhœa? 26. fluxa ſolvit leucorrhœam 153.
Amor laſcivus leucorrhœæ cauſa 40.
Amplitudo vulvæ ab ubertate leucorrhœæ 97.

INDEX II.

Amuleta contra leucorrhœam 27[illegible]
Anacatharſis leucorrhœam ſolvit 150.
Anatome e leucorrhœa defunctarum qvid doceat? 63.
Anevryſma carotidis externæ cauſavit leucorrhœam 332. ſqq.
Animus dejectus moroſus in leucorrhœam patientibus 27.
Antimonii vitrum ceratum efficax ad leucorrhœam 161.
Antiſeptica qvando in leucorrhœa danda? 205.
Antivenerea nec ſola nec omnem leucorrhœam curant 87. ſq.
Anxietas in leucorrhœa 26.
Apozema ad leucorrhœam efficax 246. ſq.
Aqvæ ſoteriæ curant leucorrhœam 176. ſq. martiales 238. ſqq. & calcis vivæ 235. & Briſtolienſis ibid.
Aſari laus in leucorrhœa 159. ſq.
Aſcarides cum leucorrhœa prodeuntes 18. ſqq.

B.

Balneorum in leucorrhœæ cura efficacia, præſertim diaphoreticorum 269. roborantium 270. thermarum 272. frigidorum 275.
Balſamorum nativorum in leucorrhœæ cura virtus 182. 215.
Baſilicum ſilveſtre ſpecifice curat leucorrhœam in Cajenna 202.
Belgis leucorrhœa crebra eſt 41.
Benigna leucorrhœa qvid? 7.
Berolini leucorrhœa crebra eſt 41.
Briſtolienſis aqvæ vis ad leucorrhœam curandam 235.
Brückenavienſis fontis efficacia contra eandem 239.

C.

Cachexia cum leucorrhœa 6. ejus cauſa 37. effectus 108. ſq.
Calcis aqva efficax ad leucorrhœam 235.
Cancrorum oculi curant leucorrhœam 233.
Catamenia (v. menſes).
Catarrhus ſuppreſſus leucorrhœam creat 55. 334. & vice verſa 130. 141.
Catechu virtus ad leucorrhœam 236.

Cathartica leucorrhœam curant 161. ſqq. vel iterata vel continuata ibid. mitiora tantum danda 167. ſqq.
Cauſæ leucorrhœæ proegumenæ 29. ſqq, procatarcticæ 39. ſqq. proxima 61. ſqq.
Cephalalgia a leucorrhœa ſuppreſſa 138.
Chloroſis cum leucorrhœa, hujusqve cauſa 6. 37.
Cicuta leucorrhœam curat 205.
Coitus cauſat leucorrhœam veneream 79. in eaqve dolorem creat, non item in vera leucorrhœa 79. & virum inficit 79.
Color leucorrhœæ 11. ſqq. unde albus? 61. ſq.
Complicata leucorrhœa qvid? 6.
Compoſita remedia ad leucorrhœam 241. ſq.
Conceptus leucorrhœam tollit 150.
Conſiſtentia varia leucorrhœæ 14.
Contenta ejusdem 18. ſqq.
Continua leucorrhœa 3.
Copaivæ balſami laus in leucorrhœa 185.
Copia leucorrhœæ 17. diſtingvitne leucorrhœam veram a gonorrhœa venerea? 75.
Corallia curant leucorrhœam 234. 243.
Corpora qvæ prona in leucorrhœam? 35.
Cortex Peruvianus efficax in leucorrhœæ cura 219. ſqq.
Coryza (v. leucorrhœa), ejus fluxus ſuppreſſus leucorrhœam cauſat 55. ſq. 141.
Cydoniorum ſemen utile in leucorrhœa 194.

D.

Dauci laus in leucorrhœa 180.
Debilitas virium cum leucorrhœa 26.
Diabetes a leucorrhœa ſuppreſſa 131.
Diæteticum regimen in leucorrhœa 279.
Diagnoſis varia leucorrhœæ 69. ſqq. præſertim veræ a gonorrhœa venerea 71. ſqq. qvæ eſt admodum difficilis 89. ſqq.
Diaphoretica leucorrhœam curant 186. ſqq. 269.
Diarrhœa ſolvit leucorrhœam 153.
Diaſari Fernelii laus in leucorrhœa 159. ſq.
Dictamni albi radix leucorrhœam curat 181.

Diuretica curant leucorrhœam 178. ſqq.
Diuturnitas leucorrhœæ varia 94. ſqq.
Dolores leucorrhœæ comites 26. ex ejus acrimonia etiam oriuntur 123. ſq.
Dyſpepſia cum leucorrhœa 26.
Dyſpnoea cum leucorrhœa ibid.

E.

Ebeni decoctum efficax in leucorrhœa 190.
Effectus varii leucorrhœæ 96. ſqq. præſertim ſuppreſſæ 128. ſqq.
Embſenſis aqvæ laus in leucorrhœa 239.
Emeticorum virtus in leucorrhœa curanda 158. ſqq. qvæ hic optima? 159. ſqq.
Emmenagoga leucorrhœam creant 41.
Eſſentiæ variæ efficaces ad leucorrhœam 244.
Exanthemata a leucorrhœa acri 126. ſq. vel ſuppreſſione ejusdem 131.
Excoriationes genitalium a leucorrhœa 110.
Excreſcentiæ ibidem ab eadem 119.
Exſiccantia adſtringentia curant leucorrhœam 233.
Externa remedia ad leucorrhœam varia 252.

F.

Febris cum leucorrhœa 26. vel ab eadem ſuppreſſa 132. 138. ſq.
Ferri virtus in leucorrhœæ cura 238. 272.
Fluor albus (v. leucorrhœa), ejus phœnomena 10. ſqq.
Folia qvercus curant leucorrhœam 236.
Fonticuli tollunt leucorrhœam 276.
Fotus utiles ad leucorrhœam 258.
Freyenwaldenſis fons leucorrhœam curat 238.
Frictiones utiles in leucorrhœa 257.
Frigida balnea ſanant leucorrhœam 257.
Frigus humidum leucorrhœæ cauſa 41. ſq.
Fumi utero immittendi in leucorrhœæ cura 261. ſqq.
Functiones qvæ læſæ in leucorrhœa? 25. ſqq.
Fungi uteri, vaginæ a leucorrhœa 119.

G.

Gangræna a leucorrhœa 110.

Genitalia (v. excoriatio, fungi).
Glandularum tumores ſubſidentes cauſant leucorrhœam 57.
Gonorrhœa ab leucorrhœa vera qvi dignoſcenda? 71. ſqq. benigna qvid? 7.
Gravidarum leucorrhœa 8. 46.
Gummi - reſinæ proſunt in leucorrhœa 216.

H.

Habitus corporis in leucorrhœa qvalis? 26.
Hæmorrhagia uteri leucorrhœæ cauſa 51. vel ejusdem effectus 124.
Hæmorrhoides cœcæ leucorrhœæ cauſa 59. ſq.
Hæreditaria leucorrhœa 36, 330.
Hiſtoriæ ſelectæ leucorrhœæ 292. ſqq.
Hiſterica paſſio comes leucorrhœæ 6.

I.

Impuberum leucorrhœam tollit pubertas 149.
Inanitio nimia a leucorrhœa poſcit adſtringentia 230.
Indicationes in leucorrhœæ cura 156. ſq.
Infantum leucorrhœa 30. ſqq.
Inflammatio a leucorrhœa 110.
Ingeſta leucorrhœæ cauſa 40.
Injectiones uterinæ ad leucorrhœam 264. ſqq.
Inſpectio pudendorum ad diagnoſin leucorrhœæ reqviſita 76. ſqq.
Intermittens leucorrhœa 3.
Inveterata leucorrhœa 2.
Inviſcantia utilia ad leucorrhœam 194.
Juniperi grana laudantur in leucorrhœa 181.
Juvantia & nocentia an leucorrhœæ indolem determinent? 25. ſqq.

L.

Lactis uſus leucorrhœam revocat 281. metaſtaſis leucorrhœæ cauſa 53.
Lactucæ ſem. cremor curat leucorrhœam 242.
Landeccenſis aqvæ laus in leucorrhœa 238.
Laſcivia leucorrhœam acceſſit 40. 42. ſqq.
Laſſitudo cum leucorrhœa 26.
Lauchſtadienſis aqvæ laus in leucorrhœa 238.
Laxitas vaſorum uteri pertinax poſcit adſtringentia 227.

Leucorrhœa qvid? 1. ejus nomina varia 2. 57. genera 2. ſqq. tempora affligendi 5. 10. phænomena 10. ſqq. qvalitates 11. ſqq. ubertas 17. contenta 18. ſqq. ubi endemia? 41. menſium vicaria 51. e qvibus vaſis ſcaturiat. 2. 6. 61. ſqq. cum menſtruis fluens 66. ſqq. an tunc venerea? 81. ſqq. ceſſat deficientibus menſtruis 68. ejus cauſæ 29. ſqq. ſymptomata 9. ſqq. diagnoſis varia 69. ſqq. prognoſis 94. ſqq. curatio 155. ſqq. hiſtoriæ ſelectæ 292. ſqq.

Ligni ſancti laus in leucorrhœa 188. ſq. & Americanorum lignorum 187.

Litus ad leucorrhœam utiles 257.

M.

Maligna leucorrhœa 8.

Martialium vis in leucorrhœæ cura 238.

Matrimonium leucorrhœam cauſat 43.

Melancholia in leucorrhœa 27.

Menſes albi (v. leucorrhœa), in leucorrhœa qva ratione procedant 26. eandem varie cauſant 47. ejusdem ſunt vicarii 51. ceſſantibus iis ceſſat leucorrhœa 68.

Menthæ aqva ſpirituoſa efficax ad leucorrhœam 199.

Mercurialis ptyaliſmus curat leucorrhœam veneream, forte & veram 190. ſqq.

Metaſtaſes leucorrhœæ cauſa 53. leucorrhœæ ſuppreſſæ variorum malorum cauſa 128. ſqq.

Mœror leucorrhœæ cauſa 40.

Molæ leucorrhœam creant 51.

Morbi uteri leucorrhœam inducunt 39.

Moſchata (v. nux)

Motus corporis in leucorrhœæ cura neceſſarius 285.

Muliebre profluvium (v. leucorrhœa).

N.

Neonuptarum leucorrhœa 43.

Notha leucorrhœa qvid? 6. qvotuplex? 7. ſq.

Nux moſchata eſa curat leucorrhœam 199.

O.

Obeſæ leucorrhœæ magis obnoxiæ 35.
Oculorum cava elevata in leucorrhœa 27. livores 28.
Odor leucorrhœæ 15.
Olibano curata leucorrhœa 217.
Opobalſamo ſanata leucorrhœa 184.
Otium vitandum in leucorrhœæ cura 286. ſqq.
Ovi album curat leucorrhœam 194.

P.

Palpitatio cordis cum leucorrhœa 26.
Partus leucorrhœæ cauſa 51.
Pathemata animi (v. affectus).
Pediculi in capite enati leucorrhœam ſiſtunt 140.
Pedum calor in leucorrhœæ cura neceſſarius 289. ſudor reverſus leucorrhœam fugat 151.
Periodica leucorrhœa 5.
Perſpiratio in leucorrhœæ cura promovenda 288. ſq.
Peruvianus balſamus in leucorrhœa efficax 184. ejusdem eſſentia 244.
Peruvianus cortex (v. cortex).
Phænomena leucorrhœæ varia 10. ſqq.
Phlegmaticæ ſunt plus proclives in leucorrhœam. 35.
Phthiſis a leucorrhœa 125. præſertim ſuppreſſa 135.
Pilulæ variæ ad leucorrhœam efficaces 249.
Pimpinellæ albæ laus in in leucorrhœa 244.
Piperinæ aqvæ leucorrhœam ſanant 238.
Polypi (v. excreſcentiæ, fungi).
Procatarcticæ cauſæ leucorrhœæ 39. ſqq.
Proegumenæ ejusdem 29. ſqq.
Prognoſis ejusdem 94. ſqq.
Proxima cauſa ejusdem 61. ſqq.
Ptyaliſmus ſpontaneus leucorrhœam ſolvit 150. mercurialis perinde 190. ſqq.
Pubertas leucorrhœam impuberum tollit 149.
Pudendorum (v. excoriatio).
Pulveres varii ad leucorrhœam 250.
Purgantia (v. cathartica).
Purpura a ſuppreſſa leucorrhœa 132. 142. ſq.

Purulenta leucorrhœa 322. 324.

Q.

Qvalitates leucorrhœæ variæ 11. ſqq. 73. ſq.
Qvaſſiæ laus in leucorrhœa 200.
Qvercus foliorum virtus in leucorrhœa 236.

R.

Ratiocinium de leucorrhœæ ſcaturigine 65.
Recens leucorrhœa 2.
Regimen diæteticum in leucorrhœa 279.
Remedia ad leucorrhœam 158. ſqq.
Reverſa leucorrhœa morbos a ſui ſuppreſſione ortos tollit 138. ſqq.
Rhei ad leucorrhœam efficacia 168. junctis præſertim tonicis 169.
Roborantia diuretica indicata 180. ſqq. & nervina 195. ſqq. balnea 270.
Roſmarini virtus in leucorrhœa 199.
Ruhlenſis aqvæ laus in leucorrhœa 239.

S.

Sacchari abuſus leucorrhœæ cauſa 41.
Salivatio (v. ptyalismus).
Sangvinis vacuatio ſolennis ſuppreſſa leucorrhœam cauſat 59. miſſio quando indicata? 252. ſqq. ubi vetetur? 256.
Scabies a ſuppreſſa leucorrhœa 132.
Scarificatio neglecta leucorrhœæ cauſa 59.
Semen cydoniorum in leucorrhœa utile 194.
Senſuum turbatio a leucorrhœa 107.
Serpilli virtus in leucorrhœa 200.
Setaceorum laus in leucorrhœa 276.
Sialagoga proſunt in leucorrhœa 190. ſqq.
Simplex leucorrhœa 6.
Soli mutatio utilis ad leucorrhœam curandam 285.
Solutio variis modis leucorrhœæ 149.
Soteriæ (v. aqvæ).
Spadanæ aquæ laus in leucorrhœa 241.
Spongia vaginæ indita leucorrhœam creat 45.
Sputa ſuppreſſa leucorrhœæ cauſa 55. oborta ſolvunt leucorrhœam 150.
Sterilitas leucorrhœæ effectus 104. ſq. non tamen ſemper 106. ſq.

Stomachica remedia conducunt ad leucorrhœæ curam 196. ſqq.
Suberis uſti laus in leucorrhœa 235.
Sudor pedum repreſſus leucorrhœæ cauſa 53. reverſus eandem fugat 151.
Suffitus ad leucorrhœam curandam 261.
Suppreſſæ leucorrhœæ ſeqvelæ 128. ſqq. qvas reverſa leucorrhœa tollit 138. ſqq.
Symptomata leucorrhœæ 9. ſqq. 72.
Syrupus corall. curat leucorrhœam 234.

T.

Tabes a leucorrhœa 125.
Tempora leucorrhœæ reverti ſolitæ 10.
Tenſio hypochondriorum vel hypogaſtrii comes leucorrhœæ 26.
Terebinthinæ ſpiritus ſiſtit leucorrhœam 184.
Terræ catechu vis in leucorrhœa curanda 236.
Terror leucorrhœæ cauſa 39.
Tincturæ corall. laus in leucorrhœa 234. 243.
Transplantatio leucorrhœæ 278.
Tumores artuum in leucorrhœa 26. ſq. uteri vaginæ a leucorrhœa 119. ſq. glandularum (v. has).
Tuſſis a leucorrhœa ſuppreſſa 141. ſq.
Typus leucorrhœæ num diagnoſin abſolvat? 81.

U.

Vacuationes ſolennes ſuppreſſæ leucorrhœam cauſant 53. ſqq.
Vagina an veræ etiam leucorrhœæ ſedes? 62. ejus irritatio leucorrhœæ cauſa 45. prolapſus ejusdem effectus 97. Leucorrhœa e vagina cum catameniis ex utero eodem tempore fluentibus 66. ſqq.
Vaſa qvæ leucorrhœam gignant? 2. 61.
Ubertas leucorrhœæ 17. 75. qvid efficiat? 97.
Venus nimia leucorrhœæ cauſa 42. ſqq. in curatione vitanda, 282.
Vera leucorrhœa qvid & qvotuplex? 2. ſqq.
Vermiculi cum leucorrhœa excreti 18. ſqq.
Veſicantium virtus ad leucorrhœam abigendam catarrhalem 337.

Veſtitus ratio in leucorrhœæ cura 288.
Vetus leucorrhœa 2.
Victus humidus leucorrhœæ cauſa 41. qvalis in cura tenendus? 279. ſqq.
Viduas leucorrhœa deſerit 44. ſq.
Vina medicata ad leucorrhœam 248.
Vir admiſſus leucorrhœam abegit 283.
Vitrioli acidum in leucorrhœa proficuum 236.
Vitri antimon. cerati laus in leucorrhœa 161.
Ulcera genitalium in leucorrhœa 6. varia item ab eadem ſuppreſſa 133.
Vomitui ceſſanti ſuccedens leucorrhœa 55.
Urina qvalis in leucorrhœa? 26. ſq. ejus difficultas vel ſuppreſſio a leucorrhœa 124.
Uteri morbi leucorrhœæ cauſa 39. prolapſus ab eadem 97. fungi, polypi ab eadem 119. ſqq.
Uterina leucorrhœa 2. remedia ad leucorrhœam qvalia? 200.
Uterus an ſedes leucorrhœæ? 2. 61. ſqq.
Uva urſi ſanat leucorrhœam 201.
Vulneraria danda in leucorrhœa purulenta 205.
Vulvæ amplitudinem cauſat leucorrhœæ ubertas 97.

Y.

Ypecacuanhæ laus in leucorrhœa 159.



BUDÆ

TYPIS CATHARINÆ LANDERER.